COGITATIONES

IN

IVS ROMANVM ET GERMANICVM

DE

VSVFRVCTV MARITALI

IN

BONIS VXORIIS.

AVCTORE

IACOBO CAROLO SPENER, D

IVR. F. ET HIST. P. P. CVRIAE PROVINC

ET SENATVS ECCLES. ASS.

VITEMBERGAE

SVMPTIBVS GEORG. MARC. KNOCH

AN. cIↄ Iↄ ccXXVI.

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DO-
MINO,
DOMINO
GOTTLOB
HIERONYMO
DE LEIPZIGER
DYNASTAE IN HEYDA
CETERA

OTENTISSIMI POLONIA-
RVM REGIS
T ELECTOR. SAXON. IN SAN-
CTIORI CONCILIO SENATORI
EMINENTISSIMO,
ROTO-SYNEDRII ECCLESIAST. ET
SVMMI PROVOCATIONVM
TRIBVNALIS

PRAESIDI,

CVBICVLARIO ITEM REGIO
SPLENDIDISSIMO,

)OMINO MEO MVSA-
RVMQVE

PATRONO INDVLGENTISSIMO,
FELICITATEM PERPETVAM.

PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME
DOMINE
PATRONE MVSIS MEIS INDVLGENTISSIME

Constat inter omnes, quam minimum TIBI esse otii. Quippe negotiorum mole incredibili obrueris, in pluribus

curiis & tribunalibus supremis præses ac arbiter eminentissimus, & ipsius sanctioris etiam senatus collega purpuratus. Valde proinde verendum mihi fuerat, ne non viderer impudentior, qui libellum leuidensem, conscriptum in otio, & non nisi otio lectoris destinatum, TIBI, DOMINE, in tantis negotiis occupatissimo transmitterem. Id præterea plenum audaciæ institutum videri poterat, quod omnino Illustrissimum TVVM Nomen vilibus pagellis inscribere sustinerem. Diuini profecto ingenii opus fuerit, quod TVA non in-

di-

dignum gloria, TVOque ſatis dignum iudicio eſſe debeat. At non is es, PERILLVSTRIS DOMINE, cuius incomparabilis ſolertia, & in gerendis maximis rebus dexteritas, communi pede moduloque metienda ſit. Ipſa otia TVA ſunt negotioſiſſima. Quæ alii forte diſpenſant in otia, inter medios labores quam feliciſſime expedire adſueuiſti. Multiplicia onera humeri TVI ſuſtinent adeo ſtrenue, vt vbi ſingulis vix ſinguli ſufficiant, vniuerſa tamen contineant perferantque TVAE vigiliae. Prouida cura tua florent vigentque

in noſtra Saxonia optima quæuis ſtudia. Quam ipſe, DOMINE, memorabili exemplo perfectiſſima vndique fulges eruditione, ita non aequo animo tantum perfers, ſed iubes etiam, vt, exactiſſimo TVO iudicio, quae prodeunt ingenii ſpecimina, ſubmittantur. Non TVVM ita vis otium exſpectari, vt huic ſuo officio TVI clientes ſatisfaciant, ſed fere otii inſtar reputas, mille inter curas de laudabilibus doctrinarum progreſſibus iudicare, eosque liberaliter iuuare ac protegere. Quæ rationes abunde mihi fecerunt animi, vt TIBI, DO-

MINE

MINE PERILLVSTRIS, vel leuiores meas in Romanum Germanicumque ius cogitationes exhibere nihil vltra dubitauerim. Fruſtra nimirum fuerim, ſi exſpectarem, donec aliquid TE vere dignum, quod demiſſiſſimo cultu offeram, elaborauerim. Longe infra TE ſunt, quæcunque forte præclara & egregia a nobis habentur. Si quid TVA excelſa virtute non indignum TIBI offerri debeat, a TE ipſo id oportet proficiſcatur. Effecerunt dudum mores, vt viri ſummi benigniſſime indulgeant, ſi vel exilia ſcripta ſacris ipſorum auſpiciis

lucem adſpiciant. Facile id patroni muſarum confidunt, ea vix vecordia auctorem eſſe, qui dum inclytum nomen operi ſuo praefixerit, opus iſtud ex præfixo titulo ambitioſe æſtimauerit. Modo ex illuſtris nominis inſcriptione decus aliquod auctor libello ſuo nititur conciliare, modo in eo eſt, vt ſummo patrono ſua ſtudia comprobet, modo vt deuotiſſima obſequia teſtificetur, gratiasque pro collatis in ſe beneficiis publice perſoluat. Quodcunque horum argumentorum elegerim, non diffido, EXCELLENTISSIME DOMINE, vel TVO calculo me poſſe admiſſæ meæ temerita-

tis

tis ſiue excuſationem, ſiue veniam mihi promittere. Ab omni confidentia abſum quam longiſſime, idque vnice gaudeo, dum concedas DOMINE, vt epiſtola hæc perleui meæ commentationi præmiſſa TIBI meæ religioſiſſimæ venerationis exſtet monumentum. Tot inſignibus TVIS affectus & auctus beneficiis in eo elaboro, vt iis indignus porro haberi nequeam. TE immortale Numen, TVAMque Illuſtriſſimam domum cunctis felicitatibus beet, TEque, PERILLVSTRIS DOMINE, vniuerſæ Saxoniæ, noſtræque præſertim rei-

publi-

publicæ litterariæ quam ſeriſſime ſoſpitem præſtet ac incolumem.

PERILLVSTRI TVO NOMINI

Vitembergæ
VI. ID. MAII.
clↄ Iↄ CC XXVI.

deuotiſſimus

IAC. CAR. SPENER, D.

LECTORI S.

PRobabile est praeceptum, aut si mauis consilium, Venusini Poëtae, vt si quid operarum ingenii publico destinauerint eruditi, nonum id in annum premerent. Sane qui eius moniti idoneam rationem habuerunt, facile industriae solertiaeque suae fructus egregios praesenti & retro seculis retulerunt. Sustinuerunt eorum probe ac mature cogitata scripta non modo aetatem suam, verum etiam serae posteritatis iudicium. Qui crudas vero cogitationes in publicum protrudere ausi sunt, mercedem temeritatis praesentem contemtum, inque futurum obliuionem habuerunt. Plus profecto librorum in mundo esse, quam conueniat aut conducat, iam vetus est querimonia. Inde non insipienter plures induxerunt in animum, satis esse gloriae in conscientiae testimonio de virtute ac eruditione, nec

publicorum suffragiorum prouocatione opus esse. Verum tamen ex istis siue modestiae, siue prudentiæ, regulis non prorsus pendere possunt, qui in academiis docendi munera obeunt. Siue velint isti, siue nolint, fere scribendi consuetudine necessario abripiuntur. Iubet cogitque eos magistra illa mundi opinio. Ex qua enim academia nihil quotannis librorum in litterati orbis lucem prodit, eam obscuram & ignobilem esse, firmiter vulgo persuasum est. Proinde non est integrum academicis doctoribus, seueriorem hac in causa philosophiam consectari. Vel fuga aut mora scribendi spondeat modestiam, vel consideratiam, id aliorum iudicio in academiis relinquitur. Audendum est aliquid, & vel scenae, quod dicitur, seruiendum. Ipsius officii iudicanda dandaque est opera, vt frequentius non nihil in publicum vtile præstes tuis laboribus, siue τὰ κοινὰ καινῶς, vetera nouiter, vel etiam noui quid sine odio vetustatis producere valeas. Enimuero Venusinum illud effatum habet etiam, quo multi abutantur. Sunt in perpetua scribendi mora illi potissimum, qui non tam publicæ student vtilitati, quam famæ & gloriæ. Quam sæpenumero tamen isti moratores publici commodi, dum sero nimis prodeunt, & communem meruisse adplausum sibi videntur, laureolam saltem in mustaceo quæsierunt ac inuenerunt. Nec minus latet quandoque vitii in affectata famæ fuga, modestiæque insignis laude. Fuit haud dubie, ita vti ipsa

obser-

obseruauit antiquitas, Cynicus Diogenes, qui Alexandri magnitudinem contemtim habuit, ipso Magno Alexandro superbior. Ita saepe alta mente repositus fastus tegitur, aut potius aperitur, illo supercilio, omnis famae gloriaeque, etiam litterariae, contemtore. Abeunt longius non immerito ab his siue vitiis, siue seuerioribus philosophiae placitis, cordatiores eruditi, praecipue in academiis. Habent dudum id exploratum, frustra exspectari ab homine opus perfectum omnibusque numeris absolutum. Norunt, quam sit publice fructuosum, vel leuioribus quandoque cogitationibus propositis candidi lectoris ampliores ac saniores cogitationes excitare. Plus onerant quandoque lectorum animos vastae tractationes, quam ad mentis praestabilem culturam exstimulant. Est praesertim ita comparatum cum nostra iurisprudentia. Omnis eius pars, post plurimas iurisconsultorum egregiorum curas ac vigilias, variam adhuc culturam ac emendationem exspectat. Eam alii, qui excolendo iuri nostro quodammodo nati sunt, plenioribus studiis, ac veluti per saturam adgrediantur. Non arbitror minorem publicae vtilitatis curam gerere, qui sparsim & intercise vni alteriue argumento singulari, siue illustrando, siue a corruptelis expediendo, cogitationes suas, quantumuis adstrictiores, impenderint. Quas tibi praesentes sisto cogitationes, L. B. iam ante annum academicae dissertationi destinaueram. Casu intercepta

cepta

cepta occasione hac, animus fuit posterioribus curis eas reseruare, & hactenus premere, vt nouis obseruationibus locupletarem, redderemque publica luce digniores. Sed forte quadam visum mutare consilium. Submitto igitur publico iudicio meas qualescunque cogitationes, ea, qua primum conceperam, forma. Comtas satis & accuratas nolim eas profiteri. At parum me mea fallet coniectura, saltem fructum aliquem ingenuis lectoribus has meditationes laturas. Nihil te, B. L. moror diutius. Vale.

DE

DE

IVRE VSVSFRVCTVS MARITALIS IN BONIS VXORIIS.

PROOEMIVM.

§. I.

IN eleganti hocce ac forenſi vſu ſatis trito argumento, prima quidem, ſed parcior, mihi cura eſt de vocabulis, eorumque ſenſu. *Ius* dicimus & intelligimus, *quod ſemper æquum ac bonum eſt: l. 11. D. d. Iuſtitia & Iure*, aut quod iuſtum eſt in aliqua cauſa ſecundum leges & conſuetudines. Si mauis cum GROTIO *Lib. I. d. I. B. & P. c. 1. §. 3.* id *quod iniuſtum non eſt.* A qua ſignificatione manat altera, vt iuris nomine ſignemus *moralem qualitatem perſonæ in-*

hærentem, ad aliquid iuste habendum vel agendum. GROT. *d. l. §. 4.* MAVRIT. *d. Princip. I. P. Cap. I. §. 1. sequ.* Ita dum maritus fructus dotis percipit, eius id ius est, & id ipsum iustum est. Dum onera fert matrimonii, ob quæ, secundum Romanas leges, vsumfructum dotis habet, iure id agit. Cetera. *Vsusfructus est* iure Romano *ius alienis rebus vtendi, fruendi, salua rerum substantia. l. 1. D. d. Vsufr. §. 1. I. eod.* Et ille vsusfructus vocatur *maritalis*, quoniam ius est mariti, vt secundum leges & mores vsumfructum habeat. *l. 20. C. d. Iure dot. l. 7. princ. D. eod.* Quæ leges addicunt modo marito vsumfructum ex æquitate in dote. Sed istud ampliat Germanicum maxime ius, & maritis *in bonis vxorum* omnibus vsumfructum, alio quidem respectu vtrorumque coniugum communem, adiudicat. Imo & Romanæ leges laudant & probant pacta, cum quibus vsusfructus maritalis ad parapherna protendatur. *l. 8. C. d. Pactis conuent. l. 9. §. fin. D. d. Iure dot.* Vnde patet idonea ratio, cur vsusfructus mariti non in sola dote, sed in bonis vxoris indefinite, a me ponatur.

§. II.

§. II.

Equidem reperio confeſtim aliquam ambiguitatem reliquam in *notione vſusfructus*, quando & dum eum maritalem nuncupo. Siquidem & contendunt circa hanc notionem leges Romanæ inter ſe, & de eadem lis quodammodo prima eſt Germanico iuri cum Romano. *Dos* appellatur *proprium mulieris patrimonium. l. 3. §. 5. D. d. Minorib. l. vn. §. 14. C. d. rei vxor. act.* Vxor domina dotis perhibetur a IVSTINIANO *l. 30. C. d. Iure dot.* Seruos dotales VLPIANVS, quantum ad maritum, pro alienis habet. *l. 24. §. 5. D. Soluto matrim.* De paraphernis & receptitiis bonis nemo dubitat, quin maritum Romano iure oportuerit alienam rem in iis agnoſcere. Hactenus maritalis vſusfructus, dum præſertim ad paraphernam pertingat, a legali vſusfructus Romana definitione nihil recedit. Sed conſtat non minus, Romanas leges diſerte *dotem ad mariti bona* accenſuiſſe. *l. 75. D. d. Iure dot. l. 7. §. 3. D. eod. l. 21. §. 4. D. Ad municipal.* Quæ in bonis ſunt cuiusquam, propria habet & ſua. Nulli autem res ſua ſeruit. *l. 26. D. d. Seruit. P. R.* Igitur improprie videtur dictum, cum ma-

riti ius in dote vſumfructum compellamus. Expedit quadantenus iſtud dubium IVSTINIANVS, diſtinguendo dominium dotis naturale, quod vxorem manſerit, & dominium, quod ex ſubtilitate legum ad maritum perueniſſe fingatur. *l. 30. C. d. Iure dot.* Vt nihil adeo prohibeat, poſterius *dominium*, quippe ſingulari prorſus indole affectum, *vſusfructus elogio* indicare. Quo accedit, quod Romanæ leges alioquin aiunt, vſumfructum nonnunquam dominii partem eſſe, atque ipſam comitari proprietatem. *l. 4. D. d. Vſufr. l. 126. §. 1. D. d. V. O.* Hanc ſignificationem, perfunctorie Romano iuri notatam, plane pleneque adoptauit Germanicum ius. Secundum iſtud eſt *Germanicus vſusfructus maritalis* maxime alienus a Romano, quippe, propria ſua ex indole, *dominii* non ficti, ſed *veri*, *pars*, *& in re* non aliena, ſed ſuo modo prorſus *propria*. SCHILTER. *Exerc. ad Pand. XVII, 31.* Quicquid inde rei eſt, de quo plura deinceps, ſane conueniet, noſtrum maritalem vſumfructum in latiori atque ampliori ſignificatione potius, quam in anguſta nimis & ſtricta, quadam anticipatione hoc loco accipere. §.III.

§. III.

Parum vero erat in noſtro argumento, ſi quando cerneremus in vocis vſusfructus acceptione Romanam iurisprudentiam, cum qua ſolenniori inſtituto ingredior in hanc operam, collidi aliquantum cum Germanica. Quin deprehendimus potius, vbique hic & in vicinis cauſis in diuerſum abire ipſa *vtriusque, Romani ſcilicet & Germanici iuris principia.* Illinc, ſi continuo vera fatebor, principia manare peregrinis ex moribus, & noſtræ reipublicæ rationibus magis repugnantibus, quam conuenientibus. Hinc alias rationes, easque vtique optimas, adeſſe limpidiorum domeſtici iuris principiorum. Quando diſcordant inter ſe principia, parum ſpei ſupereſt, vt non mirum in modum, iis inconſulte plerumque permixtis, fluctuetur & varietur in concluſionibus. Namque nec generatim in priuatis cauſis, nec ſingulatim in noſtro de maritali vſufructu & bonis vxoriis argumento, in Romanas leges plane tranſiuimus. Nec tamen in patrii iuris obſeruantia plene atque omnino perſtitimus. Quæ curate perpen-

denda aut ignorant, aut negligunt, aut ſaltem diſſimulant non pauci doctores, & adeoque contra rationem iuris frequenter nimis vagantur in dubiis ac incertis. SCHILTER. *d. l. XXXVI. 75.* Verum ſunt hæ difficultates & obſcuritates iuris, quas præcipue in cauſa noſtra obuias, & manifeſtandas porro, vt euitemus ac eluctemur, ante omnia in limine ipſo circumſpicere permagni noſtra intereſt.

§. IV.

Peregrini atque domeſtici iuris prouidentiorem longe æſtimationem, antiquior ætas, quod paſſim reperi, nos rectius docet, quam ſequior obſeruauit. *Quod quisque populus ipſe ſibi ius conſtituit, id ipſius proprium ciuitatis eſt, vocaturque ius * ciuile, quaſi ius * proprium ipſius ciuitatis.* Ita GAIVS *l. 9. D. d. l. & l.* non ſane Romanum ius, qua ciuile, omnibus gentibus, quod hodie quam vulgo fit, imponens. *Alienæ gentis legibus homines * ad exercitium imbui & permittimus & optamus. Ad * negotiorum vero diſcuſſionem, reſultamus & prohibemus. Quantumuis enim elogiis polleant,*

*ant, tamen difficultatibus hærent. Nolumus siue * Romanis legibus, siue alienis institutionibus, a modo amplius conuexari, Lex Wisigoth. Lib. II. t. 1. c. 9. & Capitular. Franc. Lib. VI. c. 343. p. 981.* Sic Franci post Vesigothos seuere prohibuerunt patrium suum ius ciuile a periculo Romanarum legum, iam tum, licet leuiter adhuc, obstrepentium. Fac quidem, improuide Romani iuris doctrinam ex scholis in fora nostra se passim insinuasse, quin monitorem adhuc audimus Romanorum ICtum CELSVM in *l. 39. D. d. LL. Quod non ratione introductum, sed * errore primum, deinde * consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. Add. l. 14. D. eod.* Romanos videbimus in nostra causa ex necessitate dedisse leges, corrupto ciuitatis suæ statui consulturas. Et quotusquisque vero memor est eius regulæ, quam PAVLVS tradidit. *Quæ * propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. l. 162. D. d. R. I. add. l. 15. D. d. LL.* Non præmitto has legales prorsus, nec scrupulose conquisitas, regulas, sine idonea ratione. Siquidem manifesto indigemus filo quodam Ariad-

 næo,

næo, ingreſſuri modo haud adeo expeditam tractationem noſtram. Ea generatim reſpiciet, quod inſcriptio habet, *ius vſusfructus maritalis in bonis vxoriis*. Simul igitur erit de bonis vxoriis non principalis quidem, ſed aeque tamen neceſſaria, mea disquiſitio. *Bipartito* vero diſtribuam meam operam. *Primo* enim proferam in medium principia commemorati iuris, qualia præcipue Romanæ leges & Germanicæ produnt conſuetudines. *Secundo* concluſiones ex præmiſſis principiis potiores examinabo, & vt, quaue ex cauſa, eæ incerto iure paſſim regantur, indeque plurimum fluctuent, demonſtrabo. Quantum licebit, in vtroque id agam, vt & omni confuſione principia primitus expediantur, & concluſiones aliquot ad certioris & ſtabilioris iuris normam redigantur.

SECTIO

SECTIO I.

PRINCIPIA IVRIS CIRCA VSVMFRVCTVM MARITALEM IN VXORIIS BONIS.

§. I.

IN *naturali primaeuo statu* rerum omnium communio inter quoslibet mortales obtinuit. Cuius communionis perspectis incommodis, diuisa rerum dominia introducta sunt. Post quam conditionem natura voluit, vt esset cuilibet liberum de rebus suis statuendi arbitrium. PVFENDORF. *I. N. & G. Lib. IV. cap. 4. §. 14.* GROT. *d. I. B. & P. Lib. II. c. 2. §. 2.* Ita videri etiam poterat, *naturale ius* velle, vt iam vxor sua bona, quae in matrimonium intulerit, pleno iure possideat. Diuersum vero magis suadet arctissimae consortionis, quam vir atque vxor in matrimonio ineunt, iusta aestimatio. Probe monent Imperatores: *Bonum erat*, hoc est naturali aequitati adprime conueniens, *mulierem, quae seipsam marito committit, res etiam*

eiusdem pati arbitrio gubernari. l. 8. C. d. Pactis conuent. Et ad naturalem simplicitatem prorsus apposite illud MODESTINI quadrat: *Nuptiæ sunt coniunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, * diuini & humani iuris communicatio. l. 1. D. d. Ritu nupt.* Vnde nihil magis naturali iuri puto congruere, ac bonorum inter coniuges plenam communionem, adeoque communem vsumfructum bonorum. Si quæ illo iure mariti ante vxorem prærogatiua, facile dederim, maritalem vsumfructum omnium vxoriorum bonorum non minus iuris naturæ esse. Cetera manifesto iuris naturæ non sunt, & longius a simplicitate naturali abeunt. Fœminas paternæ hæreditatis exsortes inopesque in maritorum manum conuenire. Vxores dotem afferre, & in ea sola maritis vsumfructum competere. Bona vxorum diuisa esse, & maritalem vsumfructum in illis deinceps variis conditionibus circumscribi. Si quæ sunt alia eiusmodi, omnia ex pactis sunt, ex moribus, ex ciuili lege, istaque sæpe plus consulente moribus, quam eos adprobante. GROT. *d. l. c. 5. §. 8. n. 1.* KVLPIS. & BOECLER.

ad

ad d. l. PVFENDORF. *l. c. Lib. VI. c. 1. §. 11. sequ.*

§. II.

Æquitatis quidem aliquid & iuris posse esse, quod tamen nec sit iuris naturæ, nec ei satis probe conueniat, tralatitium est. Ex necessitate quædam iura recepta nouimus, quæ æquitatis facta, postquam publicæ saluti commodius consuli non potuit. Æquitatem inde aliter multum atque aliter gentes æstimarunt, dum in nostra causa ad ciuitatis suæ proprias & singulares rationes respexerunt. Æquius visum *Thracibus Indisque*, vt omnes de bonis vxoriis, maritorumque in iis iure, contentiones apud eos facesserent. Itaque apud eos, haud secus ac apud *Assyrios*, aliosque populos, inopes vxores, emtæque a maritis, saltem formosiores. ÆLIAN. *Var. Hist. IV. 1. & ibi* IAC. PERIZON. *in Comm.* Prouocat hic V. C. ad *l. 2. C. d. Donat. ante nupt.* vt similium Romanorum morum vestigia declararet. Sed id frustra est. Apud *Sacas* itemque *Indos*, licet inopes vxores, in tanto fuerunt pretio, vt non nisi bellicosa virtute ad earum conjugia adspirari consueuerit. ÆLIAN. *XII. 38.* PVFENDORF. *d. l.*

§. III.

§. III.

Ex pactis fuit, quæ demum in mores abierunt, quod, ita vt diximus, solis maribus hæreditates paternæ transcriberentur, fœminæque earum exsortes in manus maritorum conuenirent. Alia fuisse *instituta Græcorum* patet, vt scilicet aptius ad leges naturæ omnes paternas opes inter liberos vtriusque sexus distribuerent. Etiam dotes, quæ inferrentur in matrimonia, moribus ipsorum vetustioribus probatas fuisse, certum est. Namque diserte Soloni & Lycurgo legislatoribus adscribitur, qui in *Attica & Spartana republica* dotium & vxoriorum bonorum vsum vetuerint. Cuius nouioris & præter naturalem simplicitatem constituti ciuilis iuris non inelegans ratio hæc fuit, quod dotatæ atque opulentæ vxores plerumque maritorum dominas agerent. Itaque Lycurgus suam legem ex eo commendauit, quod seuerius matrimonia sua viri coërcere possint, dum nullis dotis aut vxoriarum diuitiarum frenis tenerentur. PLVTARCH. *in Sol.* *Ælian. VI. 6.* IVSTIN. *III. 3.* Facile fuit maritis carere iuribus in vxorum bonis alio-

alioquin debitis, dum ipsi solas hæreditates in posterum cernerent. Quantumuis deinceps Græci ad instituta majorum redierint, diutius tamen *Ægyptios* dotes a sua ciuitate prohibuisse, docet ALEX. AB ALEX. *Genial. dier. Lib. II. c. 5. Lib. IV. c. 8.*

§. IV.

Credibile sit, rursus præter simpliciora iuris naturalis placita, *vxorum dotes* ab iis maxime gentibus introductas esse, quæ nollent saltem filias cum filiis ad paterna bona ex æquis partibus admitti. Tum ratio pacti aut consuetudinis satis euidens ac opportuna fuit. Non visum fœminas plane inopes ex paterna domo eiici, nec visum paternarum opum eas prorsus participes fieri. Ergo media via inita est. Data dos egredientibus ex paterna domo. Hæc fuit instar legitimæ bonorum portionis. Dote prospectum futuris vxorum alimentis. Dote gratiores vxores maritis venere. Vnde dote introducta, non fere potuit non *æquitas maritalis in dote vsusfructus* gustari. PERIZON. *ad L. Vocon. p. 113. sequ.* Dos quibusdam gentibus instar pretii fuit, quo sibi vxores viros in matrimonia coëmerent.

Istud

Iſtud quidem extremum naturali ſimplicitati haud multum conueniens. Interim videre eſt in Romanorum matrimoniis per coëmtionem initis, ſponſam tum magis emtricem, quam ſponſum emtorem ſolenni ritu retuliſſe ac repræſentaſſe. HVBER. *Digreſſ. P.II.I.17.* THOMAS. *d. Vſu pract. I. d. Nupt. I.* 7. HEINECC. *Ant. Rom.I. 10. 10.*

§. V.

Deuenio continenter ad *Romani iuris* in noſtra cauſa *principia & principiorum rationes.* Romani prima ætate id ex naturali æquitate tenuerant, vt filias cum filiis ad paternas opes pari paſſu vocarent. Id habuere ex aliarum gentium inſtitutis, vt nubens vxor ſimul a patre dotem acciperet. Deinde auctis ciuitatis opibus lata eſt *Voconia lex.* Per eam vxores ſola dote contentæ, ac a ceteris hæreditatibus omnibus abſtinere iuſſæ. Nam ampliſſimæ dotes peti atque attribui conſueuerant. PERIZON. *d. l. p. 133.* Eo vsque adhuc quieuiſſe contentiones de vxoriorum bonorum differentia & conſimiles, pateſcet ex ſequentibus. Voconiam legem non noua lege abrogatam eſſe, ſed breui per ciuitatis

opu-

opulentiam ac ingruentem luxum moribus solis exoleuisse, tradit GELLIVS *Lib. XX. c. 1.* Ibi rursus, vt olim, fœminæ vocatæ ad hæreditates, & insignibus simul dotibus ornatæ. Simile autem istud ius vetus nouumque inter se non fuit, sed tantum apparuit. Siquidem vtrumque ius, in nostra præsertim causa, cum diuersissimis iuribus iuriumque effectibus coniunctum fuit.

§. VI.

Quod supra censui, ad naturalem simplicitatem quam proxime accedere, vt dum vxores bona in matrimonium inferrent, ea cum corporum communione in plenam consortionem venirent, id sane *primeuam Romam* seuere custodiisse, manifestum est. Vnde dignum iudico, nunc distinctiorem *prisci Romani iuris notitiam* curate præmittere. Romulus *matrimonia* inter ciues suos sacris ritibus & *per confarreationem* fieri voluerat. Tum *facta mulier, quæ secundum leges sacras in viri manus conuenerat,* * *particeps omnium eius sacrorum & bonorum.* DIONYS. HALIC. *Lib. II.* Tum fuere proprie *nuptiæ consortium omnis*

vitæ,

vitæ, * *diuini & humani iuris communicatio. l. 1. D. d. Ritu nupt. Add. l. 4. C. d. Crim. expil. hered. l. 1. D. Rer. amotar.* Contra omnia, quæ vxoris erant, bona viri ita facta dotis nomine. CICERO *Topic. IV.* Vere igitur vxoriorum bonorum post hos nuptiarum ritus nulla fuit distinctio. Dos & reliqua hæreditas nihil distulit, nisi quod diuerso tempore ad maritum hæc & illa inferretur. Mariti ius vtrobique vnum idemque. *Maritus* talis *vxoris tutor paterque* dictus. TERENT. *Andr. I. 5.* Fuit inde, quod vxores assumerent maritorum nomina, tanquam filiæ. PERIZON. *Diss. d. diuina constitut. Deut. XXV. 5. 6.* *Vsusfructus maritalis plenissimus*, & in re vere propria, quippe *in communibus bonis*, simus. Hinc Romani deinceps adhuc mariti dominium dotis fingere, dum nullum vltra, quod postea cernemus, superesset. Hinc & leges modo supra laudatæ reliquæ mansere, licet cum longe diuerso & dissono rerum statu deinde introducto. MÆVIVS *ad Ius Lub. Lib. I. t. 5. a. 5. n. 2. sequ.* Sed maritorum ius non vxorum ius ea ætate infirmius reddidit, nisi quod caput familiæ maritus

ageret.

ageret. Ceterum vtrinque vſusfructus vere communis; mutuæque hæreditatis ſpes, & dum non eſſent liberi ex matrimonio prognati, & dum eſſent. HOTOMANN. & BRISSON. *d. Ritu nupt.* HEINECC. *Ant. Rom. I. 10. 1. ſequ.*

§. VII.

Donec Roma virtutem auſteriorem coleret, & admirabilem continentiam præcipui decoris loco haberet, moribus iis, quos commemorauimus, matrimonia continuo ſteterunt. Ita tum temporis amata ſunt matrimonia, vt ad annum V. C. IↃXX. alicuius *diuortii nullum* exſtaret *exemplum.* Ipſæ vxores dignæ maritali virtute atque amore agere, domeſticarum curarum ac operarum eſſe ſociæ ac participes, liberosque præcipue mira ſolertia educare. Nec aliter valde actum prima ætate in *matrimoniis per coëmtionem* fieri ſolitis. Iſti enim ritus non ipſam rem aut matrimonii ſtatum, ad eosdem præclaros mores conformatum, affecerunt aut mutarunt. Sed tantum poſteriores ritus adhibiti, dum coniugum opes ſolennium pretio non ſuffi-

cerent. HEINECC. *d. l.* §. 12. LVDEWIG. *Opusc. miscell. Lib. IV. op. 7. p. 1296. 97.*

§. IIX.

Memorabile est, quam quod maxime, primam illam Romam, quæ vtique mortalium cordatissimos ciues habuit, cum commemoratis matrimoniorum institutis, *nullas* prorsus habuisse aut agnouisse *lites, aut contentiones, de bonis vxoriis, & maritorum in ipsis iure.* Qui poterant de istis causis actiones resurgere, cum amor integerrimus fidesque inuiolabilis coniugum animos adstringeret? cum diuortia essent ignota, ideoque magis vitarentur, quam si vetita essent? Istud ex primæ ac sequentis Romanæ ætatis comparatione, vel tacentibus vetustis scriptoribus, facile patesceret. Sed eo firmius creditur, quod ab ipsis Romanis auctoribus prouide seduloque id est annotatum. Ita GELLIVS *Lib. IV. c. 3.* rem edisserit: *Memoria traditum est, quingentis fere annis post Romam conditam * nullas rei vxoriæ neque actiones, neque cautiones, in vrbe Romana aut in Latio fuisse: quia profecto * nihil desiderabatur, nullis etiam tunc matrimoniis diuertentibus. Seruius*

*nius quoque Sulpicius in libro, quem composuit de dotibus, tum primum * cautiones rei vxoriae necessarias esse visas scripsit, quum Sp. Caruilius, cui Rugae cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur. A. V. C. IↃXXIII. M. Attilio P. Valerio Coss. atque is Caruilius traditur vxorem, quam dimisit, egregie dilexisse, carissimamque * morum eius gratia habuisse; sed iurisiurandi religionem animo atque amori prauertisse; quod iurare a censoribus coactus erat, vxorem se liberum quaerendorum gratia habiturum.* Pertinet huc, quod IVSTINIANVS *§. 3. I. d. Donat.* tradidit, *donationes ante nuptias veteribus prudentibus penitus fuisse incognitas.* Cum nempe id genus donationis maxime in dotis securitatem esset constitutum, nihil causae fuit, vt illud veteri Romae placeret, cum adhuc de dotium securitate nihil ambigeretur.

§. IX.

Romani hactenus tam iusti & aequi retinentes, vt in nostra causa nihil fere a naturali simplicitate recederent, cum.

tempore tamen tulerunt progeniem sui prorsus dissimilem. Cum opulentia parta publice priuatimque plurima *vitia in ciuitatem inuadere.* Iam Porcius Cato, cum de lege Oppia ferret suffragium, in senatu acriter conquestus est: *Diuersis duobus vitiis, auaritia & luxuria, ciuitatem laborare; quae pestes omnia magna imperia euerterint.* LIV. *XXXIV. 4.* Et falso degenerantem a prisca fide virtuteque aetatem suam cecinit HORAT. *Lib. III. Carm. od. 6.*

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Luxuria vtriusque sexus per opes sufflaminata, praesertim quaeuis sacra veterum matrimoniorum iura misere conturbauit & conspurcauit. Non visum vltra consortium omnis vitae per nuptias inire. *Placuerunt* impense *diuortia.* Quae cum antea prorsus ignorarentur, deinceps creberrime leuissimis imo nullis ex caussis a viris foeminisque facta sunt. Solae libertae patronis nuptae per leges a diuertendi licentia prohibitae. *l. 10, l. 11. D. d. Diuort.*

Diuort. & repud. Vnde reliquis vxoribus diuortium facturis nullam legem obſtitiſſe, conſtat. Et commemorat SENECA *d. Benef. III. 16.* fuiſſe *illuſtres & nobiles fœminas, quæ legum licentia non conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computauerint.* Galla, vt eſt apud MARTIALEM, vna omnino die ſeptem habuit maritos, atque ab omnibus diuertit. Meminitque IVVENALIS *Lib. I. ſat. 6.* aliquarum, quæ quinque per autumnos octo maritis nupſerint. GROENEWEGEN *d. LL. abrog. ad Tit. C. d. Repud. p. 194. &* HEINECC. *Ant. Rom. Lib. I. App. §. 39. ſequ.* Cum hac variandorum matrimoniorum libidine, periit omnis coniugalis amor. Viri fœminæque ad libidines nihil reliqui facere, & *corrumpere ac corrumpi ſeculum* vocari. TACIT. *Germ. Cap. XIX.* Admiſcuit ſe vtrinque luxuriæ auaritia. Mariti vxorum bonis inhiarunt, ac fraudibus eas circumuenire ludum duxere. Nec vxores valde manus a maritorum bonis abſtinuerunt, cum ne quidem ab inſidiis maritali vitæ ſtruendis multum alienæ eſſent. En *ſolennes mores*, quos optimi quique Romanorum non diſſimularunt, ſed dete-

ftati vehementer, malum ætatis fuæ acerbiffime gemuerunt.

§. X.

Moribus indies in peius ruentibus, antiquatum, quodcunque honefti ac decori vetera Romanorum inftituta feruauerant. Confarreata matrimonia, imo etiam coëmta, intermiffa & fpreta, cum difficilioribus modis ea per diffarreationem & remancipationem foluendi, & effreni diuortiorum libidini, oppido parum inter fe conueniret. RAEVARD. *d. LL. XII. Tab. T. I. Op. p. 99.* Tiberii iam ætate non amplius tres flaminei candidati, confarreatis quippe parentibus prognati, reperti funt. TACIT. *Annal. IV. 16.* Ita coniugalis bonorum communio, vfusfructus communis, mutuæ hæreditates coniugum, iura æquitati naturali optime congrua, cum ipfis illis nuptiarum ritibus in fumum quodammodo abierunt. LVDEWIG. *d. l. p. 1205.* Contra nunc *folus vfus gratior & frequentior modus* exftitit *ineundi matrimonia.* Per vfum facta matrona, non materfamilias. GELLIVS *XIIX. 6.* Per vfum

vſum vxor non in mariti manum ac tutelam conuenit, ſed, donec ſe Romanæ fœminæ hoc etiam onere ſoluerunt, in agnatorum tutela durauit. HEINECC. *Ant. Rom. I. 13. 16. ſequ.* Per vſum matrimonia facillime diremta, & ſine ſolennibus. HEINECC. *d. l. tit. 10. §. 14.*

§. XI.

Manifeſta inde ſunt principia conſequentis Romani iuris in cauſa noſtra. *Romanæ*, quas fere habemus, quasque ſolas intelligimus, dum hodie de Romano iure ſermo eſt, *leges reſpexerunt non primæ Romæ*, quæ ſeueriori virtuti litauerat, *ſed corruptæ Romæ*, qualem modo deſcripſimus, *ſtatum*. Is ſequior ſtatus inuexerat perpetuam inter coniuges diffidentiam ac contentionem. Nupturæ, cum ſpe aut ſuſpicione diuortiorum, continuo circumſpicere vxoriæ rei cautiones, & nuptæ non minus de iſtis cautionibus eſſe ſolicitæ. Actiones vxoriæ rei variis rationibus frequentari, & omnia fora iſtiusmodi cauſis agminatim perſtrepere. Hæc ciuitatis mala poſtularunt remedia legum, quibus iſta aut

 coër-

coërcerentur, aut reliquæ ciuium ſaluti conſuleretur. Iſtiusmodi legibus Romæ veteri, quæ prorſus vacabat illis vitiis ac corruptelis, opus non fuit. *Nulla erat tum luxuria, quæ coërceretur. Sicut ante morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quam remedia eorum: ſic cupiditates prius natæ ſunt, quam leges, quæ iis modum facerent.* Quæ verba ſunt inſignis ſuffragii Catoniani apud LIVIVM *XXXIV. 4.*

§. XII.

Prudentes Romanos legislatores oportuit *propter neceſſitatem Romanæ ciuitatis leges* nouas, ac plurimum ab antiquis moribus diſcordantes, condere. Quarum æquitas, a naturali æquitate aliena, vix intelligeretur, niſi reſpecta ante omnia publica neceſſitate. Quam mores veteres fauerent coniugalium bonorum communioni, tam neceſſe nunc viſum, contra iſtam communionem, & pro ſeparatione bonorum ſtatuere. MEV. *ad Ius Lub. Lib. I. t. 5. a. 5. n. 5. Hæc mens atque anima* non difficulter conſpicua *omnium legum eſt*, quæ occurrunt in noſtro argumento. Vna earum ac maxima curâ fuit, vt cum minimo familia-

rum

rum dispendio inirentur matrimonia. Parum interesse, an alteruter coniugum ex matrimonio lucrum aliquod ferret, modo damnum nullum sentiret. Ita mille litibus occasiones praescindi, & cum raro coniugum amore, ac diuortiorum crebriore suspicione, aliqualem tamen publicam priuatamue securitatem stabiliri. Mulieribus quidem, propter fragilitatem sexus, consultius visum quam maribus subueniri. *l. 20. C. d. Donat. ante nupt. add. l. 14. l. 17. D. d. Pactis dotal.* Virorum fere vitia esse coniugali tranquillitati periculosiora, ideoque pluribus remediis contra ea opus videri. Si quibus coniugibus probe inter se conuenerit, atque libuerit antiqua fide agere, illorum pactis minime leges obstare, sed modo nihil ipsis imperari. Iura vero ad ea aptari, quae per publicos mores frequenter eueniant, & generaliter, non in singulas personas, constitui. *l. 5. l. 8. D. d. LL.*

§. XIII.

Per adductas satis graues rationes, omnium primo *leges nostrae maritorum bo-*

na sedulo distinxerunt a bonis vxoriis. l. 24. princ. l. 31. pr. D. Soluto matrim. Nec vnquam reperietur, Romano nouiori iure cum vxore participatum esse dominium bonorum mariti. Nam quod attinet ad ius pignoris & retentionis, quod pro re nata vxori competat in rebus mariti, id ad indicium dominii frustra retuleris. Secundo, contra indolem primi Romani iuris, *ipsorum vxoriorum bonorum curatior distinctio* iure stabilita est. *Dos* nunc singulare bonorum nomen factum, cum Romæ antiquitus esset omnium vxoriorum bonorum nomen promiscuum. Dos, siue daretur, siue promitteretur, siue diceretur, nihil, credo, interfuit inter ius Romanum vetus nouumque. An vero dos esset profectitia, vtrum aduentitia, plus omnino interfuit inter vtrumque ius. Licet enim nunc & olim vtraque dos peruenerit ad virum, hic tamen vetustius ob communionem bonorum vtrinque vxoris hæres exstitit. Sed deinde, vt alia prætercam, maritus in regula profectitiam dotem, subinde etiam aduentitiam, quæ tum receptitia dicta est, restituere iussus est. HEINECC. *Ant. Rom. II. 8. 4. sequ.*

sequ. Reliqua *vxorum bona* omnia *præter dotem* fuere. CICERO *Philipp. XII.* Leges vocarunt extra dotem. *l. 8. C. d. Pactis conuent. l. 17. C. d. Donat. int. v. & vx.* Græcis dicta *parapherna. l. 9. §. 3. D. d. Iure dot.* Quorum iura singularia, quantum ad maritum, vetustati incognita, ratione satis idonea nouum ius inuexit. Ita GELLIVS *XVII. 6.* ex Catonis ore: *Principio vobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam * recipit, quam in viri potestatem non committit, eam pecuniam viro mutuo dat. postea, vbi irata facta est, seruum receptitium sectari atque flagitare virum iubet.* Quibus verbis tum duo genera vxoriorum bonorum indicata, tum parapherna ipsa receptitiorum nomine designata cernimus. Vt adeo, nouum genus *receptitiorum bonorum* comminisci, sit superfluum. MVLLER. *ad* STRVV. *S. I. C. Ex. XXIX. §. 56. p. 404. & Dd. ibi alleg.* Aut enim receptitia non nisi ex pacto noua paraphernorum species exstitere. Aut si parapherna ipsa sibi vxor plane reciperet, omnia ista receptitia nominare subinde placuit.

§. XIV.

§. XIV.

Porro *dotalia vxorum bona singulari iuris fauore ex legibus munita* esse, nemo nescit. Dotis causa pia habita. *l. 32. §. 2. D. d. Condict. indeb.* Semper ea & vbique praecipua. *l. 1. D. Soluto matrim.* Cum Reipublicae salute dotis causa coniuncta. *l. 2. D. d. Iure dot.* Imo eadem potior causa habita, quam ipsius Reipublicae. *l. 9. C. d. Iure dot.* In ambiguis pro dotibus respondere melius reputatum. *l. 70. D. eod. l. 85. princ. D. d. R. I.* Quae & similia dotium priuilegia & iura pleno ore doctores percensent atque exsequuntur. HAHN. VOCKMAR. ROMANVS, *& quot alii, de dote, eiusque priuilegiis.* Lumen vero huic argumento plerumque deest. Vetus Roma his priuilegiis iuribusque dotium non vlla ratione indiguit. Namque per auitam continentiam virtutes foeminarum, non aeque dotes*, propter quas nubere possent, respectae. Secus id, ac sequiori iurisprudentiae in *l. 1. D. Sol. matrim. & l. 2. D. d. Iure dot.* visum est. Ergo prospiciendum deinceps doti fuit pro marito, quoniam alioquin ille sine dote onera matrimonii subterfugerat.

gerat.

gerat. Præterea doti consulendum contra maritum, cuius fraudes in magna semper suspicione fuere. Denique vxori subueniendum, vt saluam seruaret dotem, cum & facile a marito repudiaretur, & ipsa non difficulter diuertendi occasionem arriperet.

§. XV.

Veteri coniugalium bonorum communione, mutuoque adeo dominio & vsufructu, Romæ exulante, nihilominus præterea *marito vsusfructus in dote* tanto fauore prædita per leges *transcriptus est.* Sed addita statim conditio, eius *lucro fructus* cessuros, *pro matrimonii oneribus sustinendis. l. 7. pr. D. d. Iure dot. l. 20. C. eod.* Æquitatem iuris huius nemo impugnauerit. Conditionalem autem esse æquitatem, cum plus fauoris marito indulgere mores non permitterent, facile constat inter omnes. In definiendo legali vsufructu mariti vacillat euidenter Romani iuris stabilitas. Quod statim supra in procemio monui. Ratio instabilitatis hæc est, quod mallent legislatores vxoribus, quam mari-

maritis, consultum; (*S. h. §. 12.*) & simul tamen quædam iurisprudentiæ veteris schemata affectarent. Verum, contra quam vulgo creditur, omnino *fauor vxorum & separatorum bonorum, paucis prisci iuris reliquiis* in nostra caussa *praeualuit.*

§. XVI.

Non latet, ex legum placitis passim *maritale dotis dominium* magnifice prædicari. Vbi magna occurrit doctorum contentio, vt dotis dominium vxorium & maritale inter se concilient. Duos enim ejusdem rei pro solido non posse dominos esse, iubet *l. 19. §. 3. D. d. Castr. pecul. add. l. 5. §. fin. D. d. Commod.* Igitur *mariti dominium dotis ciuile, vxorium naturale*, vocare placet. Quo pertinet *l. 30. C. d. Iure dot.* Imo communis habet doctrina, maritum fructus percipere non iure promiscui vsusfructus, tanquam in re aliena, sed jure dominii maritalis, & sic jure proprio, & in re propria. Quam abscedat mariti vsusfructus legalis a vulgari vsufructu, & ad veri dominii indolem accedat, ex legibus plurifariam patefieri

tefieri cupiunt. Marito dotalis rei vindicatio competit, non vxori. *l. 9. C. d. R. V. l. 23. C. d. Jure dot.* Poteſt maritus iubere ſeruum dotalem, hæredem inſtitutum, hæreditatem adire. *l. 58. D. Sol. matrim.* Domini autem iuſſu aditur hæreditas. *§. 1. I. d. Hæred. inſtit. l. 7. §. 1. D. eod.* Res mobiles dotales maritus recte alienat. *arg. princ. I. Quibus alien. lic.* Dotales ſeruos manumittendi poteſtas ei eſt. *l. 3. C. d. Jure dot. l. 24. §. 4. l. 61. 62. D. Sol. matrim.* Imo rei dotalis nomine non mulier furti actionem habet, ſed maritus. *l. 49. §. 1. D. d. Furtis.* Cetera. V. STRVV. *S. I. C. Ex. XXX. §. 11. 12. 13. & ibi* MVLLER. *p. 436. 37.* Secus ea vtique, quod perhibetur, in alio vſufructuario. Qui cauere etiam tenetur, & vſurum ſe boni viri arbitratu, & cum vſusfructus ad eum pertinere deſinet, reſtituturum, quod inde exſtabit. *l. 1. princ. D. Vſufruct. quemadm. cau.* Sed remiſſam eſſe marito cautionem & ſatisdationem omnem pro dote, loquuntur *leges C. Ne fidejuſſores dotium dentur.*

§. XVII.

Parum abeſt, quin his conſideratis fir-

firmum ſtare, Romano iure non magis primæuo, quam nouiori, maritale dotis dominium, & ex eo vſumfructum manare, cum pluribus opinemur. Verum ſuſpendatur paulum iudicium, adhuc opus eſt. Leges ipſæ nos docent diuerſum, & pro contraria hac ſententia ſtat maxime mens & ratio legum, ſatis ſupra demonſtrata. *Schemata* ſunt, quæ fere afferuntur, *priſci Romani, quod dudum euanuerat, iuris.* Leges ipſæ tam ex veritate rei pugnant contra maritale dominium dotis, quam per ſubtilitatem iuris videntur iſtud tueri atque adſerere. Et parum eſt, vt maritalem vſumfructum Romanum in paucisſimis pinguiorem vulgari vſufructu eſſe adſeuerem, in quibusdam omnino deteriorem.

§. XIIX.

Non moror igitur vltra *nomen dominii.* Ex legum ſubtilitate id eſſe, & rei veritatem non delere, largitur ipſe IVSTINIANVS *l. 30. C. d. Iure dot.* Primæ Romæ maritus communis dominus fuit & dotis, & vxoriorum bonorum omnium. Durauit quadantenus elogium

gium dominii. Rem abegerunt mores, & proſcripſere quodammodo ipſæ leges. Quid eſt enim, quod maritus res dotales vindicat, aut quod ipſe, non vxor, furti agit? Scrupuloſe leges non excutiam. Partim non probant, quod probare debent. Fac probent, notum tamen eſt, vxorem in Romano foro ſtandi perſonam minime idoneam geſſiſſe. Etiam tutor res pupilli vindicat. Creditor atque vſufructuarius recte furti agunt. *l. 15. D. d. Furtis.* Sileo, quantum interſit mariti, rem dotalem ſaluam eſſe. Liceat marito dotales ſeruos manumittere, mobiles res alienare, & iubere ſeruum, vt hæreditatem adeat. Horum ſane omnium nomine, ſi vxore inuita geſta eſſent, maritus vxori ſatis tenebatur. *l. 24. §. 4. l. 61. & 62. l. 58. D. Sol. matrim.* Nec majus præſidium pro maritali dotis dominio eſt ex eo, quod maritus dotis nomine non caueat. Vtique enim cautiones vxoriæ rei poſt introductam diuortiorum licentiam Romæ frequentari. GELLIVS hoc nos docuit. Leges cautiones illas ſilere, fruſtra id vrgetur. Leges antiquatæ & abolitæ, dum Gratianus, Valentinianus & Theo-

 doſius,

dosius, & post hos Iustinianus, omnes istas cautiones vetuerunt. *l. 1. & 2. C. Ne fidejuss. dot. dentur.* Diserte prouocatur ad legem antiquandam. Tamen transit plerumque doctores, nouum ius, antiquato priori, Imperatores statuisse. Id reperi, Christianos Imperatores, circumscripta, non tamen prorsus abolita, diuortiorum licentia, cœpisse benigniores erga maritos esse. GROENEWEG. *d. LL. abrog. ad Tit. C. d. Repud. p. 194.* Fortassis, cessante potiori ratione duriorum legum, rigorem earum mollire visum. Quantum tamen Imperatores magis quadam forte indulserint maritali vsuifructui, procul adhuc, vrgentibus pluribus rationibus, abfuere, quo minus antiquo iure dominium dotis maritis assererent.

§. XIX.

Ex lege promiscui vsusfructus maritus fere generatim *fructus dotis percepit.* Vix, dum curiose inquiro, reperio, in quo pinguior eius, ac alius vsufructuarii, conditio fuerit. Libet paulisper per partes ire. Maritus naturales fructus dotis

suos

suos facit. Et horum nomine veniunt, quæ nascuntur ex inanimatis rebus, aut ex brutis. *l. 10. §. 3. D. d. Iure dot. l. vn. §. 9. C. d. Rei vxoriæ act.* Lapidicinarum commoda, aut cæduæ siluæ, non minus pertinent ad maritum. *l. 7. §. 12, & 14. l. 8. D. Sol. matrim.* Ciuiles item fructus, puta vsuras & prædiorum pensiones, recte maritus sibi capit. *l. 7. §. 8. 11. D. eod. l. 36. D. d. Vsuris. l. 88. §. fin. D. Ad L. Falcid.* Quid aliter vero constitutum est de vsufructuario reliquo? Et ille amplissimo iure gaudet in omnis huius generis fructibus colligendis. *l. 7. 9. sequ. D. d. Vsufructu.* Contra vsufructuarius ex silua non cædua arbores cædere nequit, nec vi ventorum deiectas arbores suo lucro accipit. *l. 10. 11. l. 12. princ. D. eod.* Nihil autem plus iuris in his maritus exercet. *l. 32. D. d. Iure dot. l. 7. §. 12. D. Soluto matrim.* Partus ancillarum in fructibus neque mariti, neque vsufructuarii, computantur. *l. vn. §. 9. C. d. Rei vx. act. l. 10. §. 2. D. d. Iure dot. l. 68. pr. D. d. Vsufr.* Non vacat vltra disquirere de iure alluuionum, natæ insulæ, thesauri inuenti, & si quarum aliarum rerum non est computatio in fructus. Sane, quod iterum

asseueranter contendo, fere neutrubi pinguius ius in hisce inuenio marito in dote, ac vsufructuario in fundo per Romanas leges assignatum. *l. 10. §. 1. D. d. Iure dot. l. 7. §. 12. D. Sol. matrim. l. 9. §. 4. D. d. Vsufr. l. 63. §. 3. D. d. Adquir. R. D.*

§. XX.

Vsusfructus vulgaris cohæret personæ, adeoque ius vtendi fruendi morte demum personæ in regula exstinguitur. *l. 3. §. fin. D. Quib. mod. Vsusfr. amitt. l. 10. C. d. Vsufr.* In eo sane *maritalis dotis vsusfructus longe deterioris conditionis* est Romano iure, *quam promiscuus.* Namque profectitiam dotem iure pater repetiit, dum filia sine liberis relictis exstincta esset. *l. 6. pr. D. d. Iure dot.* Et aduentitia dos ex interpositis pactis sæpe, imo fere in regula, reuocata. *l. 1. §. 1. D. d. Pactis dotal. L. vn. §. 6. C. d. Rei vxoriæ act.* Plane si vxor vsumfructum in quodam fundo marito dotis attulisset, fructuariæ vxoris morte periit statim mariti vsusfructus. *l. 78. princ. D. d. Iure dot.* Diuertens vxor repetiit confestim dotem.

l. 2. 3.

l. 2. 3. sequ. D. Sol. matrim. Atque ideo maxime dos tam accurate a mariti bonis separata, quoniam matrimonium vix vltra initum, absque suspicione diuortii vt fuisset. Igitur vsusfructus maritalis, contra reliqui iuris indolem, non fuit ius personæ mariti, qua vsufructuarii, cohærens, sed potius vnice fere conditionem vxoris sequens & respiciens. Hic tueantur licet doctores contra hæc iactatum suum maritale dotis dominium vulgari isto, quod *& illud recte nostrum* esse dicatur, *quod a nobis abire speratur; l. 66. D. d. R. V.* & quod id interim in eo statu esse censeatur, ac si a nobis abire nequeat. *l. 205. D. d. R. I.* Metuo, ne inuita sua iurisprudentia pugnent pro re, quam Romanæ leges, ex necessaria quodammodo ratione, valde destructum iuerunt.

§. XXI.

Alioquin vsufructuarius in fundo, cuius ipsi vsusfructus est, ad sustinenda stipendia, tributa, oneraque alia, tenetur. Etiam modica refectio, non ædificatio, aut instauratio ædium, & si quæ sunt his

ſimilia, ipſi incumbunt. *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. D. d. Vſufructu.* Prorſus non aliud ius maritali vſuifructui leges præſcribunt. *Neque ſtipendium, neque tributum, ob dotalem fundum præſtita, exigere vir a muliere poteſt: onus enim fructuum hæc impendia ſunt. l. 13. d. Impenſis in res dot. Tueri res dotales vir ſuo ſumtu debet. l. 15. D. eod. add. l. 16. D. eod.* Longe potius maiori *maritalis vſusfructus oneri* cedit, quod omnino vetatur arbiter modicas mariti impenſas in ædificandis ædibus, & in reponendis propagandisque vineis, ſimilibusque cauſis, curare. *l. 12. D. eod.* Vſufructuarius nulla ſingulari functione pro fructibus percipiendis obſtringitur. Præterea ille repetit a proprietario, ſi quid vltra modum fructuum in onera publica impenſum. *arg. l. 7. §. 2. l. 30. §. 1. d. Legat. 3.* Tali beneficio per leges marito non ſuccurritur. Siue ſuffecerint fructus dotis matrimonii oneribus ſuſtinendis, ſiue iis pares non fuerint, perinde id in Romano iure habetur. Maritus nihilominus ſuam functionem in alenda vxore ac familia obit. Idque ſi omnino vxor plane nihil dotis intulerit. *arg. l. 15. C. d. Negot. geſt. & l. 28. D. d. Religios.*

Religios. Quod posterius veteri Romano iure, cum illius æui moribus, cum bonorum communione, atque vsufructu communi, quam optimam rationem habuit. Nouiori iure distorta propemodum æquitas videatur, conditionem mariti, in percipiendis dotis fructibus, fere infra statum vulgaris vsufructuarii deprimere, & tamen in eiusdem maritalibus oneribus nihil minuere.

§. XXII.

Quodsi leges mariti vsumfructum ad parapherna vxoris, quæ modo post dotem spectare iuuat, simul extendissent, mariti minus haberent, quod conquererentur. Verum id non passum est *publicum studium separandi bona vxoria*, consulendi fœminarum securitati, & occasionem litibus post diuortia orituris præripiendi. *Maritis* ergo *nullus legitimus vsusfructus in vxoriis bonis præter dotem attributus* est. Idque minus mirum, cum mariti ne quidem legitimi paraphernorum administratores essent. Ita vxorum absoluto arbitrio est relictum, qua ratione in his bonis maritis fauere

vellent, nec ne. Namque *l. 8. C. d. Pactis conuent.* videtur inter se *duplicem aequitatem* committere. Prior est aequitas naturalis. Secundum quam bonum erat, adeoque generatim laudabile visum, vt mulier seipsam marito credens, bona etiam eius arbitrio dederet. *S. h. §. 1.* Alteram aequitatem vocauerim adscitam ac conditionalem. Nempe respicit sequiores ea corruptos vtriusque sexus mores, quibus aequum sit noua ratione consulere. Inde illud est, *Quoniam conditores leges * aequitatis conuenit esse fautores, nullo modo, muliere probibente, virum in parapbernis se volumus immiscere.* Quasi sanxerint Imperatores, non vltra mores ferre, vt ex aequitate naturali, aut natiua, vxori viroque hac in causa lex scriberetur; quin potius iubere nouas ciuitatis rationes, vt alia prorsus aequitatis aestimatio iis attemperetur.

§. XXIII.

Testimonium Gellii, supra *S. h. §. 13.* laudatum, probat, Romanam aliquam vxorem, praeter dotem, magnam pecuniam recepisse, hoc est, parapherna esse

esse iussisse. Namque alioquin *nulla lege probibitum, vniuersa bona in dotem marito fœminam dare. l. 4. C. d. Iure dot.* Illa mulier parapherna sua viri potestati, aut, quod idem est, administrationi, non commisit. Siquidem liberum fuisse vxori dixi, non tantum, an vsumfructum paraphernorum marito relinquere vellet, nec ne, sed etiam, an administrationem. Et cui marito ab vxore est sola relicta administratio, ille haud dubie ad reddendas rationes adstrictus est. *arg. l. 2. §. 2. D. d. Administrat. rer. ad ciuit.* MVNOZ. *ad* ESCOBAR. *d. Rat. administr. Cap. III. n. 24. C. IX. n. 12.* Praeterea eandem diligentiam in istis rebus, quam in suis, maritus praestare iubetur. *l. vlt. C. d. Pact. conu.* Interea mulier receptitiam pecuniam marito mutuo dedit. En *jus separatorum bonorum*, quoniam coniuges dudum animis studiisque diffidere cœperant. Sic haec mulier, suborto iurgio, maritum per seruum receptitium, rationibus haud dubie praefectum, flagitare, id est, vt debitum reddat, vrgere cœpit. Potuit istud suo iure. Intuitu enim paraphernorum, maritus extrarii loco habitus. Ci-

tra vllum eius consensum, omnia in istis bonis vxori licuerunt. Vendere, locare, oppignerare, donare, alienare, aut quos alios contractus de hisce bonis celebrare vxor vellet. Ita recte doctores ex Romani iuris analogia. Quos vide apud MVLLER. *ad* STRVV. *S. I. C. Ex. XXIX. §. 56. p. 405.*

§. XXIV.

De eo proinde Romanæ leges dubitare neminem sinunt, *non nisi ex pacto aut consensu vxoris marito vllum* fuisse *ius vsusfructus in paraphernalibus.* Suspensos autem & solicitos id plures tenet, *an facile consensisse mulier in mariti vsumfructum paraphernorum præsumi queat?* Quid etiam, *dum parapherna administrationi mariti commiserit, an simul censeatur horum fructus eius lucro addixisse?* Sententias varias doctorum exponit MVLLERVS *d. l.* Quicquid ex naturali æquitate pro affirmandis quæstionibus afferatur, fortioribus id omne rationibus, ex ipsa mente Romanæ iurisprudentiæ, infirmari atque eleuari contendo. Vtique Romano iure, non

non primæuo illo, ſed nouiori, mulier cenſetur iuris beneficio vti, atque bona ſua ſeparata ſibi ſeruare voluiſſe. Id leges, pro amouenda materie litium, factum eſſe credunt, &, niſi contrarium pateat, ſanciunt. En elegans de hac cauſa diſceptatio VLPIANI in *l. 9. §. fin. D. d. Iure dot.* Ergo conſenſu expreſſo vxoris marito eſt opus, non tantum vt adminiſtret parapherna, ſed etiam vt, dum adminiſtrare permittitur, fructus ſuos faciat. Aliter cauſam non decidit *l. fin. C. d. Pactis conu.* Quæ omnino permittit, vt vxor cautiones eo caſu a marito recipiat, quando ipſi adminiſtrationem credit. Secus haberi moribus, id nunc non diſputo. Id vero eſt, quod principia iuris diuerſa doctores miſcent, indeque vagæ rationes decidendi & inſtabiles exoriuntur. Quas facile vitant, qui a mero Romano iure caute nunc ſegregant mores, plus iuſto pluries, quaſi obtorto collo, ad Romani iuris analogiam trahi ſolitos.

§. XXV.

Romanæ leges ceteroquin aliud præcipiunt

cipiunt atque mandant, aut vetant ac prohibent, aliud permittunt atque libertati relinquunt. Id etiam visum in nostra causa in transcursu. Sed necesse duco, vt distinctius istud obseruem. Pro publica salute, & contra vitia ciuitatis suffecerat fere, dum ius certum scriberetur, quo in dubio omnes vterentur. Ita dum dos illata esset, legalis vsusfructus mariti fuit. Dum parapherna vxor haberet, hæc propria eius esse ac manere, constitutum. Ibi, nolente marito, vsusfructus dotis ei adimi non poterat. Item, prohibente vxore, frustra maritus vsumfructum paraphernorum postulasset. *Pacta* vero *interponere* in plerisque istis negotiis, *leges minime vetuerunt. l. 1. D. d. Pactis dot.* Si enim exceperis pauciora, quibus ex idoneis rationibus plane non licuit pactis contrauenire, *l. 6. C. d. Pactis, l. 2. C. d. Inutil. stipulat. l. 5. & 6. D. d. Pactis dotal.* præsertim dum mulieris conditio fieret deterior: *l. 14. l. 17. D. eod.* MVLLER. *ad* STRVV. *Ex. XXX. §. 15. p. 438. 39.* reliqua licuit pactis definire. Vtque adeo tum lex loqui non censeretur, dum pacta inita essent. Sic *lex 8. C. d. Pactis conu.* quæ prohibet maritum, vetante mulie-

muliere, in paraphernis ſe immiſcere, non obſtat ei, quando aliter vxor paciſci voluit. Potuiſſe nimirum vxorem vniuerſa bona in dotem marito dare, declarant *l. 4. C. d. Iure dot. & l. 72. D. eod.* Contra non minus conſtat, potuiſſe vxorem, ſi maritus acquieſceret, plane nullam dotem afferre. *l. 11. princ. C. d. Repud. l. fin. C. d. Donat. ante N. add. l. 4. D. d. Pactis dotal. Quid ſi plane pacti nihil adeſſet?* Nupſit fortaſſean fœmina marito, bonaque ſua, ita vt dotis mentio nulla fieret, in matrimonium intulit. Non dubito ex Romani iuris analogia ſtatuere, omnia bona tunc fore in dubio paraphernalia. Conſtans eſt doctorum ſententia, rem in dubio non pro dotali, ſed pro paraphernali haberi. Scilicet pactis & voluntate bona fiunt dotalia. Id vero facti eſt, adeoque probandum. *arg. l. 7. §. 3. D. d. Curat. furioſ.* MVLLER. *ad* STRVV. *d. l. Ex. XXIX. §. 56. p. 405.* Magis mouet, quod leges, ſeparationi coniugalium bonorum, atque præſertim fœminarum fauori, valde ſunt amicæ. Igitur ſibi maritus imputet, quod de dote conſtituenda ſibi non proſpexerit. An & qua ratione marito

adhuc

adhuc ſuccurri Romano iure potuerit, vt ex bonis dos aſſignaretur? Ea diuerſa quæſtio eſt, quam non moror. Circumuentæ quidem vxoris, quæ omnia bona in dotem dederit, hæredi conſulit *l. vn. C. Si aduerſus dot.* Quæ eius legis alibi ſit adplicatio? Id viderint, qui volent, loco alio.

§. XXVI.

Videlicet hæſimus ſatis in Romani iuris enucleandis principiis. *Patrium* noſtrum *ius* adeundum eſt. Quod proximis ſeculis centoni quodammodo adſimilatum eſt. Ergo *natiui iuris noſtri Germanici principia* probe ſecernenda ſunt ab adſcitis ac peregre adductis. Quod fiet, dum ante omnia primæuos Germanorum in noſtra cauſa mores expenderimus. Ex his enim moribus principiorum patrii iuris veriſſimæ rationes pateſcent. Docent hi mores, nihil potuiſſe iis ad naturalem æquitatem ac ſimplicitatem propius accedere. Reperire in iis licet, quodcunque honeſtum & decorum in matrimoniis prima Roma ſanxerat. Sed egregie in eo virtute ſua præcellunt maiorum

iorum noſtrorum mores, quod ſeræ poſteritati viſi ſunt commendabiles. Namque iure inde deducto partim adhuc viuimus, partim, quantum ab eo aberrauimus, nec ſpes decollat, redeundi facilius ex inuectis quantumuis corruptelis ad genuina priſcæ patriæ inſtituta.

§. XXVII.

Inſignis Romanorum hiſtoricus TACITVS *Germ. Cap. XIIX. XIX.* ita deſcribit *Germanorum matrimonia*, vt eorum decora prædicando, amare ſimul Romani ſui ſeculi mores perſtrinxiſſe ac taxaſſe videatur. *Seuera illic*, ait, *matrimonia. Nec vllam morum partem magis laudaueris.* Germani *prope ſoli barbarorum*, quos Romani compellarunt, *ſingulis vxoribus contenti* egerunt. Ducturi vxores nihil magis ac virtutem ſponſæ reſpicere ſoliti. *Publicatæ enim pudicitiæ*, ſiue apud nuptas, ſiue maxime innuptas, *nulla venia. Non forma, non ætate, non opibus*, profligati pudoris fœmina *maritum inuenerit. Nemo* in Germania *vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi*, vt fere inter Romanos, *ſeculum vocatur. Melius quidem*

dem adhuc illæ Germanorum *ciuitates, in quibus tantum virgines*, non viduæ, *nubunt, & cum spe votoque vxoris semel transigitur. Sic* nuptæ *vnum accipiunt maritum, quo modo vnum corpus, vnamque vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed * tanquam matrimonium ament.*

§. XXIIX.

Generatim ceterum, eodem grauissimo teste TACITO, *in nuptialibus Germanorum ritibus dotem * non vxor marito, sed vxori * maritus*, obtulit. *Intersunt parentes & propinqui, ac munera probant. Munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur, sed boues & frenatum equum, & scutum, cum framea gladioque. In hæc munera vxor accipitur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se * laborum periculorumque sociam; idem in pace,*

idem

idem in praeliis passuram ausuramque. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant: sic viuendum, sic pereundum. Accipere se, quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursus quae ad nepotes referant.

§. XXIX.

Plura fiunt ex his manifesta. Incorruptissimis moribus & viros & foeminas tum ante nuptias, tum post eas, vixisse. *Vid. etiam* CAESAR *B. G. Lib. VI. c. 21. Lib. IV. c. 2* Hos *bonos mores in Germania plus valuisse, quam alibi,* Romam TACITVS haec dicens intelligit, *bonas leges.* *Nuptias*, ex proprio gentis instituto, *amabile consortium omnis vitae, diuini & humani iuris communicationem, in domum induxisse.* Diuortia itaque fuisse ignorata. Foeminas laborum periculorumque omnium fuisse socias. Praeterea vxores alendis atque educandis liberis mirifice studuisse, nec non domus cetera officia, quae non ad seruos pertinerent, diligentissime vna cum liberis exsequutas esse, singulatim ostendit TACITVS *Cap. XX. XXV.* Ita maritum quidem caput suae familiae

egisse. Sed eo pacto, vt non minus vxores curarum atque onerum matrimonii egregias partes suas facerent. Cum quibus moribus nulli diffidentiae inter coniuges, nullis cautionibus aut actionibus rei vxoriæ, nullis denique contentionibus aut rixis de bonis ac iuribus vtriusque coniugum in illis, ætate ista locum manere potuisse.

§. XXX.

Siquidem primo gentis nostræ instituto *filiæ* æque ac filii *ad hereditatem paternarum opum admissæ sunt.* TACIT. *G. Cap. XX. fin.* Quæcunque bona fœminæ, fortassean iam hæredes factæ, haberent; ea in plenam coniugalem communionem, sine reseruatione, cautione, multoque magis sine fraude, intulerunt. IVL. CÆSAR *B. Gall. Lib. VI. c. 19.* hunc casum haud dubie respexit, dum instituta Gallorum, Germanicorum fere in hisce similia, ita descripsit: *Viri quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur,*

*betur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum * pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.* Sit Gallos Romanæ dotis indolem vna cum imperio Romanorum in se suscepisse, aut CÆSAREM Romano vocabulo dotem vocasse, quæ proprie dos non fuerat. Ea non moramur. Sane non minus apud Germanos ac Gallos, quæuis *vxoris bona facta per matrimonium mariti, imo potius vtrinque communia.* Certe etiam in regula bona defuncti, lucro superstitis coniugis cesserunt. Et illud modo relinquo in medio, an Germanicus maritus in constituenda vxoris suæ dote vxoriorum illatorum bonorum rationem, nec ne habuerit; vtrum potius ista scrupulosior bonorum æstimatio peregre in Gallorum instituta, quod veri similius videtur, inuecta fuerit?

§. XXXI.

Ordinarius is casus fuit, vt viuentibus parentibus filiæ maritis nuberent, & deinceps hæreditati parentum præstolarentur. Dum id fieret, *neque profe-*

ctitia, *neque aduentitia*, *Romanorum dotis in Germania copia* facta est. *Non vxor marito*, *sed vxori * maritus dotem obtulit.* TAC. *Cap. XIIX.* Æquitati conuenientius creditum, vt quodammodo constituta dote vxorem maritus in matrimonium coëmeret. Vbi transeundo singulares Saxonum mores noto, qui, præter reliquam Germanicam dotem, parentibus vxoris certam pecuniam exsoluerunt, atque verius adeo vxores suas coëmerunt. Saxonicas veteres leges eo respicientes adduxit SCHILTER. *Exerc. ad P. XXXVI. §. 70.* In vniuersum apud Germanos constituendæ dotis negotium a Romanis institutis, ita vt facillime patescit, fuit alienissimum. Vnde veteres Germanorum leges chartæque, latine loquentes, Romanum quidem dotis vocabulum ad Germanicum negotium adplicuerunt. Sed mens vocis diuersa, sensus longe alius. Videsis maxime libellos Germanicæ dotis apud MARCVLF. *Form. Lib. II. c. 15. App. c. 37. & in* BIGNONIANIS *Form. Cap. V. in* LINDENBROG. *Form. Cap. LXXIX.* Rem egregie, vocatis in partes legibus & chartis vetustioribus, illustrant BIGNON. *ad*

MARC.

MARC. *Form. II. 15.* HACHENBERG. *Germ. M. Diss. V. §. 6.* SCHILTER. *d. l. §. 68. sequ.* DV FRESNE *Gloss. v. Dos, Dotarium, Mundium, Meta &c.* Nam id etiam meretur notari, quod Germanica dos plura acceperit passim elogia. Appellata est *dotarium* & *dotalitium.* Tamen dotalitium, hodierno iuris sensu, admixta scilicet peregrinitate, haud parum adhuc in quibusdam a Germanica dote differt. *Mundii* & *metæ* voce delectati Longobardi in suis Legibus. Quæ omnia singulatim expedire, non vacat.

§. XXXII.

Germani veteres honestissimæ fœminarum educationis optimorumque morum probe conscii, earum præcipuum fauorem institutis suis præ se tulerunt. TACIT. *G. Cap. IIX.* Idem quidem passim Romanæ leges visæ agere. *S. b. §. 12.* Sed id minime amore vxoriorum morum, verum tum odio maritorum, qui sæpius vxores circumuenerant, tum litium minuendarum studio. Vtraque ratio exulauit in Germanicis institutis. *Maritalis* igitur *vxori oblata dotis* ea *ratio* fuit, quod vellent mariti etiam post

 fata

fata ſua vxoribus optime conſultum. Ibi in regula minime reſpectum, an & quæ bona vxor ad maritum attuliſſet, aut quæ adhuc ſperanda forent. Generalis potius & prima omnium honeſtiorum maritorum debitio dotis vxori præſtandæ fuit. *Mariti prius vxores dotali titulo debent conligare. Capitular. Franc. Lib. VII. c. 389. & c. 179.* Sic enim mores publici demum in ipſas leges tranſiuerant. Præterea, vt melior fieret fœminarum conditio, *matutinale donum*, *Morgengab* dictum, ipſi a marito offerri ſolitum. Iſtud donum Tacitvs fortaſſis intelligit, dum præter dotem de oblatis muneribus commemorat. Nam etiam in vicem vxor marito munera dare conſueuit. Quorum reciprocam indolem Tacitvs curatius exponit, quam vt hoc loco ei definiendæ immorari conueniat. Balvz. *Not. ad Capit. Fr. p. 992. 93.* Dv Fresne *v. Morgengab.* Hachenberg. *d. l.* §. 7.

§. XXXIII.

Vxoria veteris Germaniæ bona nullo modo a maritalibus diſtincta ſecretaue fuerunt.

fuerunt. Non id pati poterat integerrimus coniugalis amor, non curarum domesticarum consortio, non fuga & commune odium diuortiorum. Quamdiu consisteret matrimonium, bona coniugalia vtrinque fuerunt communia. Vetus inde Germanorum parœmia hodieque durat, antiqui moris index: *Leib an Leib, Gut an Gut: Coniuges, vt corpora, ita bona, communicant.* HERT. *Parœm. Iur. Lib. I. par. 69.* RVDINGER. *Lib. III. Obs. 44.* Dum vxor bona hæreditate accepta intulisset in matrimonium, mansit ea quidem domina, sed & maritus non ficto, vti apud Romanos in dote, sed vero dominio potitus est. Quam dotem vxori maritus obtulit, eius vtique tradidit dominio, sed suo dominio minime exemit. Idem dicendum de dono matutinali. Porro singulari traditione nulla opus fuit, vt etiam vxor ius firmius in mariti reliquis bonis consequeretur. Id iam moris fuit & communis instituti. Hinc est, quod nunquam facile mariti, cuiuscunque conditionis essent, alienare quicquam bonorum auderent, absque consensu vxorum vt id fieret. Ipsi Imperatores,

 Reges,

Reges, Principes, in diplomatibus suis huius vxorii consensus sedulo fecerunt mentionem. Nemini diplomaticae rei gnaro exempla deesse possunt. Quorum quaedam illustria dabit TOLNER. *Cod. Dipl. Pal. Num. XVII. p. 13. XXXVII. p. 32. CV. CVI. p. 75. CXIIX. p. 80. CXIX. p. 82.* LVDEWIG. *Reliqu. MS. T. I. p. 162. T. II. p. 365. T. IV. p. 31. 36. 106. T. VI. p. 459. 464.*

§. XXXIV.

Mariti bonis ab vxoriis plane non distinctis, *multo minus distinctio placuit ipsorum vxoriorum bonorum.* Dotem Germanica vxor marito nullam obtulit. Itaque *parapherna*, Romani iuris sensu, *plane in Germania* fuere *ignorata.* Si receptitia finxeris a paraphernis separata bona, multo minus eorum maioribus nostris vsus fuit. Haec ita in vniuersum, donec matrimonium morte alterutrius solueretur. Moriente siue marito, siue vxore, communius *superstes coniux alterius heres* exstitit. Quod verius communionem omnibus effectibus beatam indicauit. Id iterum loqui-

tur

tur alia vetus parœmia : *Längst Leib, längst Gut : Diutius viuens, diutius communibus bonis vtitur fruitur.* HERT. *d. l. par. 68.* Negandum vero non est, instituta Germanicarum gentium, ceteroquin ratione communionis bonorum concordia, in definiendis hæreditatibus vxorum subinde variasse. Respectum præcipue, an vidua liberos cum defuncto marito genuerit, an a secundis nuptiis abstineat, nec ne? Quocunque casu dos & morgengaba, præterea quæ bona intulerat in matrimonium, ad eam pertinuere. *Lex Aleman. Cap. LV. LVI. Lex Baiuw. Tit. XIV. c. 7.* Tertiam partem bonorum in matrimonio acquisitorum simul eius lucro addicit *Lex Ripuar. Cap. XXXVII.* Quodsi vidua haberet liberos, aut in viduitate permaneret, non sua tantum bona seruauit, sed etiam cum liberis vsumfructum reliquarum opum habuit. *Lex Baiuw. Tit. XIV. c. 6. & 9.* Maritus omni fere casu coniugalis bonorum communionis post vxoris obitum eximios fructus tulit. Quod argumentum alii plenius excutiant.

§. XXXV.

Iura Germanicorum maritorum in vxoriis bonis faciliori opera nunc se manifestant. *Oriunda ea ex bonorum coniugali communione*, non potuere non plurimum distingui a Romanis iuribus, quae ex necessariis rationibus separationi coniugalium bonorum quam maxime studuerunt. *Vsusfructus nomen* maritali iuri designando incongruens fortassean alicui videri poterat. Id vtique, dum Romani iuris sensum vnice spectaueris. Sed ideo commodius vsusfructus vocabulum adhibetur, quoniam in veritate rei *mutuum & commune coniugum dominium omnium bonorum effecit, vt alteruter non nisi vsufructuario iure, licet non in re aliena, niteretur.* Dominium, inquam, quod propria sua ex indole firmum stetit, ex lege communionis nouos respectus vtriusque partis conciliauit. Quibus effectum, vt alter coniugum non esset dominus sine altero, sed bene cum altero dominus esset. Ne viro quidem quicquam bonorum siue suorum, siue ab vxore illatorum, aliena-

re aut oppignerare citra vxoris consensum licuit. *S. b.* §. *33. fin.* Imo licet defuncta vxore, liberorum etiam consensu, & quod magis mirere, omnino reliquorum hæredum, opus fuit, dum maritus paterue auita bona vellet alienare. Quod inde fuit, quia priscis Germanis nefas creditum, hæreditarium ius propinquis vllo modo interuertere. Luculenter id ex fide diplomatum asserit & commonstrat *Ill.* LVDEWIG. *Præf. ad T. IV. Reliqu. p. 8. sequ.* Quo minus hærendum in notione maritalis vsusfructus in nostro argumento. Quantumuis enim ille vsusfructus Germanico iure pars veri dominii esset, & ipsam proprietatem comitaretur; diuerso tamen & alterutrius partis respectu is vsusfructus probe genuinam suam indolem alioquin conseruauit.

§. XXXVI.

Maritalis vsusfructus obiectum apud Germanos nec Romana dos, nec parapherna, fuere. Ea nimirum vxoriorum bonorum distinctio, maioribus nostris plane ignorata. Igitur vsumfructum mari-

maritus in omnibus vxoris bonis generatim habuit. Quod ingens autem paradoxon iuri Romano fuerat, non minus vxor vſumfructum in mariti bonis habuit. Ita vere *in bonis communibus vſusfructus coniugum communis* exſtitit. Licuit marito in bonis vxoris, non magis tamen in his, quam in propriis, quod vſpiam ex vſusfructus non ſcrupuloſa Romana, ſed naturali, ſed Germanica, lege liceret. Ita ex inſtitutis Germanicis manauit, non ex Romana lege, quod maritus, ita vt oſtenſum eſt, vxoris bona non alienare poſſet. Qui potuiſſet iſtud, dum ipſi ne quidem poteſtas eſſet, ſua bona citra vxoris conſenſum libere abalienandi? Contra, quod Romano iure mulieri in paraphernis ius liberum alienationis competiit, ceſſauit noſtris moribus; quippe cum ipſa ſopita paraphernorum qualitate. Libertas alterutrius partis hic quidem reſtricta. Verum *omnis liberæ diſpoſitionis circa bona limitatio, ex ſola bonorum communione* fuit. Quæ tantum abfuit, vt ea ætate periculoſa noxiaue videri potuerit, vt potius non aliunde maior matrimoniorum pax & tranquillitas emerſerit.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Fructus bonorum omnium maritus, si placet, qua familiae suae caput, cepit. Sed singulatim *fructus vxoriorum bonorum non mariti, sed potius matrimonii, lucro commodoue* cesserunt. Nec enim solus maritus matrimonii onera tulit. Adeoque nec auctoramento fructuum dotis in Germania opus fuit, vt pro isto maritus onera in se susciperet. *Communes* fuere *curae operaeque domesticae*, quas vir foeminaque in sua parte obirent. *Communia* porro *onera*. Vnde omnino *fructus communi vtriusque lucro* addicere oportuit. Haec est ratio noua, cur bona in matrimonio acquisita ex iure meritoque superstiti coniugi relinquerentur. Quod quidem vidua non apud omnes Germanicas, vti indicauimus, gentes ista bona percepit, odio secundarum nuptiarum praecipue factum est. *S. h.* §. 34. Quae maneret vidua, rarius vlla horum acquisitorum bonorum parte caruit. Quantum ad maritum, reuocando eius vsuifructui, qualem descripsimus, fere nullus locus fuit. Cum insigni fuga di-

uortio-

uortiorum, ſola mors finem matrimoniis attulit. Et dum vxor fatis fungeretur, licet eius liberi ſupereſſent; vxoriorum tamen bonorum vſumfructum maritus nunquam fere amiſit, niſi cum ipſa vita.

§. XXXIIX.

Durauit priſci huius *Germanici*, ex genuinis ſuis principiis deducti, *iuris ſarta illibataque religio* in ſeriora ſecula. Roma vix quingentos priores annos, quod vidimus ſuperiori loco, *S. b.* §. 7. & 8. priſcis ſtetit moribus. Germania noſtra adhuc per tredecim poſt C. N. ſecula nullam inſtitutis ſuis admiſcere peregrinitatem paſſa eſt. Quod facile probatum daretur ex fide dignis monumentis, ſi noſtrum inſtitutum copioſiorem tractationem pati poſſet. Habuit etiam patria noſtra, quod firmiter defenderet ſuos in cauſa noſtra mores, ſuumque ius, quod ſecundum regulam *l. 9. D. d. I. & I.* vere ciuile Germaniæ ius dixeris. *Procem.* §. 4. Nihil in iſto iure iniquum, nihil impeditum aut inconcinnum. *Naturali ſimplicitati morumque integritati*, potius *nullum ius conuenientius*. Quodſi

veteris

veteris Romæ decora inſtituta cordatisſimi Romanorum impenſe laudarunt ac commendarunt, non potuerunt non ſimul Germanicos iſtos mores adprobare. Et multis modis id vidimus TACITVM, grauem ſane auctorem, egiſſe. Sed, vt ſunt euntque rerum viciſſitudines, migrauimus demum haud parum regulam Francici iuris ſupra prolatam. *Proœm. d. l.* Non mores gentis noſtræ adeo vnquam mutarunt, vt ex vlla neceſſitate, quæ quondam Romæ ingruerat, nouum ius fuiſſet inueniendum, nedum vt peregrinum fuiſſet ſimul adſciſcendum. Nulla ſuaſit idonea ratio, conſectari noſtro in argumento vllas Romanas leges, corruptiſſimo rerum ſtatui, quod quam certum, tam vulgo ignoratum aut neglectum, adeoque magis inculcandum, quondam debitas. Sed quid factum ſit, latet neminem. Quo id modo, quoue effectu factum; vlteriorem id meretur disquiſitionem.

§. XXXIX.

Inuaſit iam ab antiquo in Franciam & Germaniam, magis vero ad Eccleſiam quod

quod pertinuit, quam ad ciuilem ſtatum, *inſignis* quædam *Romani iuris veneratio.* Appellata *Romana lex, omnium humanarum mater legum. Franc. Capitul. Add. IV. c. 160. p. 1226.* Videmus, quædam ſubinde, ſed paucula, correcta atque adſcita eſſe ex Romana lege. *Ibid. c. 45. p. 1202.* Codex Theodoſianus fuit, quem potiſſimum Eccleſia magni faciebat. Interea conſtat tamen, patriorum inſtitutorum cuſtodiam ſimul priſcis legibus adprime firmatam & munitam fuiſſe. Permiſſum, vt Romana lex, qua copioſa & ſapientiæ laude clara, diſceretur. Sed negotiorum diſcuſſio vetita Romanæ legi relinqui. *Procem. §. 4.* Additaque ratio, quoniam ea *lex, licet elogiis polleat, tamen difficultatibus hæreat. Capitul. Fr. Lib. VI. c. 343. p. 981.* Ex quo vero noſtrum Imperium Romanum appellari cœpit, *maior* ſubinde *auctoritas Romanarum legum* ſurrexit. In Italia Iuſtinianeum ius a doctoribus indies maioris factum. Qui Germani ſtudiorum gratia in Italiam proficiſcerentur, eius notitiam imbibere. Atque hac ratione ſenſim Romani iuris amplior cura Germanis commendari. Quod nihil quidem ad publicam aucto-

ritatem Isti iuri conciliandam conduxerit, nisi *Pontificum Romanorum*, *Romani iuri adsuetorum*, *decreta* viam ampliorem peregrino iuri aperuissent. Patet istud manifesto in causa nostra. Adprobauerant Pontifices omnes Romanas de dote, donationibus coniugum, & similibus argumentis, leges. Frustra etiam fere sunt doctores, qui Canonicum ius alioquin pro coniugalium bonorum communione facere, fidenter satis asseuerant. DAV. MEV. *Iur. Lub. Lib. I. t. 5. a. 5. n. 6. 7.* Cum igitur aliquis casus de dote, Germanicae doti consimili, ad Pontificis iudicium ex Scotia adductus esset, eruditus alioquin Pontifex INNOCENTIVS III. erroris quodammodo consulentem insimulat, quod de dote a marito vxori praestita consuluisset. *Illud vero*, inquit, *te nolumus ignorare, quod vxor dare dicitur viro dotem: vir autem vxori donationem facere propter nuptias, secundum * legitimas sanctiones. C. nuper. 6. X. d. Donat. int. V. & Vx.* Quasi vero legitimae, hoc est, Romanae a Pontificibus adoptatae, sanctiones omnium gentium ciuile ius praebuissent, & ex iis optimi mores aliorum populorum fuissent corrigendi. Sed

ita visum Pontifici, visum cum eo Ecclesiæ, tunc plane ab illius nutu dependenti. Quam id inepte, quam inique? notauit SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 75.* Ex istiusmodi decretis, posteaquam Canonicum ius medio Sec. XIII. Germaniæ obtruderetur, *aucti peregrinitatis amantibus doctoribus* nostris *animi.* Ita vt videre sit, paulo post istud tempus Romani iuris placita in nostro argumento gustari cœpisse. Conditæ Sec. XIV. academiæ patentiorem viam Romano iuri pararunt. Indeque Papa parastata, doctoribus adiutoribus, in ipsa fora se Romanam iurisprudentiam, tum in vniuersum, tum in quæstionibus de bonis vxoriis, insinuasse, vulgo id notum est. De quo copiosius generatimque egi in *Iur. Publ. Germ. Lib. II. c. 10. §. 7. sequ.*

§. XL.

Plenius a tribus, & quod excurrit, seculis in fora nostra *inuadentis Romani iuris*, is fuit ex doctorum, quæ satis apparet, mente *finis*, isque *scopus*, vt, quantum ad nostrum argumentum pertinet, antiquatis priscis patriæ institutis,

Roma-

Romanis legibus porro deinceps viueremus. Quippe fastidium aut odium patrii moris doctores nostros occupauerat. Nihil illis, nisi quod Romanum, sapere visum. Partim odisse Germanica iura, quia illa ignorarent. Iactare & maximi facere Romanas leges, quia iterum earum origines & rationes nescirent, ac fere, contra *l. 17. D. d. LL.* praescriptum, in legum verbis, id est, in cortice, haererent. Nam profecto ne Romani quidem veteres iuris consulti aut Imperatores suas leges nobis scripturi erant, dum eum ciuitatis nostrae statum, quem vidimus, deprehendissent. Quam aequitatis studiosi videri vellent, tam facile illi visuri, suas in nostro argumento leges non magis ad Germaniae rationes quadrare, quam primaeuo Romae statui potuissent conuenire. Interea impetraturi erant horum momentorum incuriosi doctores nostri sua vota & proposita. Vti regnant in scholis, ita regnarent vbique in foris, petitae in nostris causis ex Romano iure decisiones. Sed a principio statim & diu deinceps, grauiter *Romanis doctoribus obstiterunt* patrii iuris consultiores *scabini & iudices*. Quam

litem & pugnam Sec. XVI. potiſſimum agitatam inſigniter repræſentauit & deſcripſit *Ill.* THOMAS. *ad* OSSEN. *Teſtam. N. XIX. p. 47. N. CIII. p. 210. N. CLXXVI. p. 387. &c.* Horum ſcabinorum proba & honeſtiſſima opera effectum, vt ſaltem plene ius patrium, certe ad cauſam noſtram quantum attinet, non fuerit oppreſſum. Potius *iura ciuilia multarum Germaniæ regionum*, quæ quidem *viliori ſtatutorum nomine per ora traducuntur*, hodieque ſeruant antiquum. In ſubſidium recurritur ad Romanas leges. Plus & id ſæpe ineptius, quam prudentius. Sane iſtud fugit neminem, multa hodieque de dotibus, donationibus propter nuptias, maritorumque iure in vxoriis bonis, doceri in academiis, quorum in veritate rei nullus, aut oppido exiguus, in multis, ni dixerim plerisque, foris vſus. Niſi ad eum fortaſſean generalem vſum reſpexeris, qui per contentiones & altercationes doctorum tot confuſiones paſſim peperit. Quas corruptelas cordatiores hodie doctores merito dolent & improbant. Vti late SCHILTER. *ad Pand. Ex. XXXVI. §. 66. ſequ.*

§. XLI.

§. XLI.

Iuuat porro ergo curatius consectari *patrii iuris nostri principia*, *inter Romanas leges inuolantes passim*, ringentibus licet ac inuitis Romanæ iurisprudentiæ deuotis doctoribus, *sarta tectaque conseruata.* Seculo XIII. quo maxime Canonicum ius perrupit in Germaniam, litteris consignatum est *ius prouinciale Saxonicum*, & paulo serius *Sueuicum siue Alemannicum*. LVDOVICI *in Præf. ad Spec. Sax. §. X. sequ.* STRVV. *Histor. Iur. Cap. VI. §. 22. & 30.* Vterque *Speculator*, alter notus, alter ignotus, iam quidem imbutus Romanarum legum notitiæ, quam subinde inficete satis prodit. Laudandus tamen vterque, quod nostra saltem in causa in genuinis patrii iuris principiis firmiter satis immoratur. Ita bonorum coniugalium absolutam communionem, qua primum hic principium, vtrumque ius absolute probat ac tuetur. *Mann und Weib haben nicht gezweiet Gut zu ihrem Leibe. Spec. Sax. Lib. I. art. 31. Mann und Weib mügent nicht gehaben kein Gut gezweiet. Spec. Suev. Cap. CCLXXIII. Maritus & vxor*

bona inter se possident indiuisa. Inde, dum eo modo indiuidua coniugalia bona durauerint, nec magis vxoriorum bonorum ſtante matrimonio differentia placuit. Romana dos & donatio propter nuptias, cum iuribus conſequentibus, adhuc vtrique iuri ignorata. Sola *Germanica dos & morgengaba* ibi locum obtinet, cum iis iuribus, quæ Germani ei adſignarunt. Succeſſiones coniugum ægre videris aliter definitas, ac ſupra ex Germanicis inſtitutis docuimus. *Spec. Sax. Lib. III. art. 76. 74. 38. Lib. I. art. 20. Spec. Suen. Cap. CCLIX. CCLXIII. CCLXVI. n. 4. &c.* Et mirum quidem in modum ineptiunt iuris noſtri primi Gloſſatores, vt apte dicta ad Romani iuris analogiam detorqueant. Sed vt iſtud primos fere *conatus doctorum miſcendi, aut potius opprimendi, noſtrum ius* magis declarat, ita tamen optatus exitus non confeſtim improbis eorum votis reſpondit.

§. XLII.

Maritalem vſumfructum in vxoriis bonis non repererim, ſiue *in Saxonico, ſiue in Sueuico, ſcripto iure,* aliunde, quam

ex

ex bonorum laudata *communione*, *deriuatum*. Nec abludit valde Saxonicum ius, dum nouum maritalis vſusfructus fundamentum in maritali tutela ſimul ſtatuere videtur. *Spec. Sax. Lib. I. art. 31. & 45. Lib. III. art. 45.* Namque, quod ius communis vſusfructus bonorum communio iam ſtabiliuerat, iſtud modo Saxonicum ius ſingulatim marito, qua familiæ capiti & vxoris tutori, tranſcripſit. *Fœminarum tutela* priſcæ Romæ potiſſimum frequentatæ. Maritus confarreatus, aut coëmtus, neceſſarius ibi vxoris tutor. Heinecc. *Ant. Rom. l. 13. 16. & S. h. §. 6. & 10. fin.* Inter Germanos tum aliæ gentes, tum Longobardi præcipue, maritalem tutelam adprobarunt. *Lex Longob. Lib. II. tit. 10. c. 1. t. 7. c. 1.* Sic & *Saxonibus placuit* inſtituto ſingulari, *vt maritus vxoris tutor eſſet.* Siquidem ex primis Saxonum moribus perpetuæ fœminarum tutelæ oriundæ. *Lex Saxon. Tit. VII.* Schilt. *ad Pand. Exerc. XXXVII. §. 241.* Strvv. *S. I. C. Ex. XXXI. §. 94. & ibi* Mvller. *p. 614. ſeqq.* Quando vero Germanico iure *tutelæ* fere in vniuerſum fuere *fructuariæ;* Ludewig. *Diff. Iuris Rom. & Germ. in fructuum attribut. tutelæ vſufructuariæ.*

ctuaria. quo maius inde ius fuit vsusfructus maritalis, quod, præterquam in tutela, se maxime simul in primæua bonorum coniugalium communione fundauit.

§. XLIII.

Saxonica Sueuicaque iura quondam *totius Germaniæ*, quodammodo per has partes diuisæ, fuisse *iura communiora*, constans est sententia. Quid veri in ea, quid dubii? alibi ostensum est. *Iur. Publ. Germ. Lib. II. cap. 3. §. 8. not. b. c.* Specula nostra, quæ laudauimus, *priuato studio* sunt *conscripta.* An & qualem ea sortita sint auctoritatem? id non disputo. Puto vero, qua in nostra præsertim causa genuina vetusti Germanici iuris principia produnt, autoritatem eorum maxime continuo hodieque durante patriæ vsu probatam dari. Nec cetera displicet cordata B. HORNII nostratis sententia, quam *Iurisprud. Feud. Cap. I. §. 32.* contra PISTORIVM, CARPZOVIVM, aliosque doctores, defendit. Scilicet *hodieque vsque eo pro patrii iuris vsu recte statui, donec de eius abrogatione, aut mutatione, plane constiterit.* Cui doctrinæ fauet

fauet etiam B. STRYK. *Vſ. Mod. Praef.* §. *XXXI.* In noſtra ſane de vſufructu maritali quaeſtione, manifeſta remanſit ipſius ſcripti Saxonici iuris obſeruantia. Contra eam praeualere non plane potuit ius Romanum, quantumuis pro eius perpetua auctoritate ſubinde doctores pugnant. Durat in terris, in quibus Saxonico iure viuitur, *mariti vſusfructus in omnibus vxoris bonis*, niſi is ſingulatim per pacta haud frequentia, nec bonis moribus adeo congrua, ſit ad dotem reſtrictus. Nec metuo fortius a poſteriori argumentari, durare re ipſa veterem coniugalium bonorum communionem, cuius manifeſtos adeo effectus conſpicimus.

§. XLIV.

Vſumfructum noſtrum generaliorem modo *ex ſcripto Saxonico iure* deriuaui. In quo ſequor doctrinam RAVCHBARI *P. I. qu. 47. n. 32.* & CARPZOVII *P. II. c. 15. d. 25.* Secus quidem alii, qui ex ſolis moribus illum vſumfructum ſeruari contendunt. Nec enim firmum necti argumentum a bonorum commu-

 nione,

nione, atque a maritali tutela, quorum iurium Speculator mentionem fecerit, ad ius vniuerſalis maritalis vſusfructus. BARTH. *d. marit. vſufr. Saxon. Cap. II.* MVLLER. *ad* STRVV. *Ex. XXIX.* §. *56. p. 408.* Verum fallit manifeſto negatio conſequentiarum iuris noſtri ſcripti. Vtique enim non Romanam, ſed Germanicam tutelam Speculator in mente habuit. Quæ vti fere generatim, ita *maritalis tutela* quam maxime propria ſua natura *fructuaria* exſtitit. Et non video quis potior communionis bonorum effectus fuerit, ſi non vſusfructus maritalis, aut magis communis? Fruſtratoriam ceterum litem hanc puto, cum, qui ad mores noſtrum vſumfructum remittant, nihilominus demum ipſi Saxonicum ius in iſtis agnoſcant. SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXIII.* §. *31. fin.* Fuere fortaſſis plures quondam Germanicæ regiones, quæ magis non ſcripto Saxonico iure vixerunt, ac quæ iſtud ius ex præſcripto Speculi obſeruarunt. Noſtra ſane parum refert, dum modo Saxonici iuris reliquam obſeruantiam deprehendamus, an ſimul eam Speculator definierit, nec ne.

§. XLV.

§. XLV.

Magnam Saxonici, adeoque ipſius Germanici, iuris obſeruantia iacturam, facile id largior, paſſa eſt, dum quædam Germanicæ gentes ſponte ſua, ſiue expreſſo legislatorum, ſiue tacito, conſenſu, diuerſis temporibus ab ea receſſerunt. Conſtat id factum eſſe in Marchia Brandenburgica, Brunſuicenſibus terris, præterea in Pomeranicis, Megapolitanis, Bohœmicis, Morauicis, & quot aliis. RHET. *Iur. Feud. Proœm. n. 56. p. 14. 15. & præcipue* LVDEWIG. *ad A. B. Tit. V. §. 2. p. 575. 76.* Rationes facti plures inſignis iſte ICtus commemorat. Quarum præcipua mihi hæc videtur, quod primum doctores Saxonici variis ſuis interpretationibus ius patrium onerarunt & corruperunt potius, quam emendarunt & illuſtrarunt; deinde, quod iidem, motis ſubinde fruſtra dubiis, nouis deciſionibus & conſtitutionibus, nimium ſæpe a patrio iure recedentibus, occaſionem dederunt. Eo enim extremum moti *vicini legislatores*, ne nouarum reſpectu acceſſionum ius dubium naſceretur,

tur, *maluerunt toti Saxonico iuri nuncium remittere.* Ibi non omnes quidem Germanicæ conſuetudines penitus in terris, quæ proprio prouinciali iure deinceps vti cœperunt, antiquatæ ſunt. RHET. *d. l. n. 48. p. 12.* Verum id non negari poteſt de multis, etiam ad noſtrum argumentum quantum pertinet. Ita expreſſa lege in Brunſuicenſi terra communio bonorum coniugalium ſublata creditur. *Perill.* DE BERGER *P. I. Reſp. 212. p. 364. 65.* Acceſſum magis ad Romani iuris placita. Quæ iuris communis inſtar expreſſa lege etiam in Marchia obſeruari placuit. DISTELMEIER. *Conſuetud. March. P. II. t. 1.* Ita etiam alibi. Vbi adſerui quidem copioſe, hæc Romana placita repugnare prorſus morum noſtrorum propriæ indoli. At facile id probatum darem, dum libuit peregrinum jus conſectari, præſtitiſſe ad eius analogiam prouinciales leges accuratius conformare, quam, commixtis & confuſis diuerſiſſimorum iurium principiis, in ancipiti atque incerto iure euagari.

§. XLVI.

De Sueuico, quod idem multi cum

Fran-

Francico, aut Franconico etiam, iure faciunt, habeo minus certi, an sane idem vtrumque fuerit, & an istud, quod *Speculi Sueuici* nomine circumfertur? Sunt qui negant vnam & alteram quæstionem. Sunt qui affirmant. Quam contentionem hoc loco meam non facio. Quicquid rei est, Speculum Sueuicum nos limpida patrii iuris nostri principia, ratione coniugalis bonorum communionis & vsusfructus, ita vt supra patuit, docuit. SCHILTER. *d. l. XLI.* 75. 76. Quem egregium doctorem præter opinionem reperio hoc loco prorsus mecum facere & rationes subducere. Nimirum *non potuisse non ius Sueuicum*, adde Saxonicum, *communem vsumfructum, etiam post fata durantem, adserere, dum, * fiducia stabilis certique matrimonii, sola bonorum communione niteretur.* Contra *Romanum ius, * conscientia licentiosorum diuortiorum, necessario separandis coniugum bonis, indeque diuersis manantibus iuribus, studuisse.* Ponam alioquin hoc loco, traditis Sueuici scripti iuris quondam Germaniam Superiorem totam, puta Sueuiam, Franconiam, Boioariam, Austriam ac Rhenanas terras, vixisse.

Quod

Quod quidem valde impugnat *Ill.* LVDEWIG. *ad A. B. Tit. V. §. 1. p. 511.* Sane minus dubium, in plerisque, quas adpellaui, regionibus sensim non minus cœpisse a communiori Sueuico Francicoue, si quod fuit, iure abscedi. Vnde est, quod doctores negant, Speculi Sueuici magnam hodie auctoritatem superesse. STEPH. CHRIST. HARPRECHT. *d. Speculi Sueuici non vsu moderno. Cap. III.* Nego vero, per hanc abscessionem, quantumuis probata detur, adeo actum esse de patrio in nostra causa iure, quam illud magnam partem fateri de discessionis a Saxonico iure rationibus necesse habui.

§. XLVII.

Nempe Saxonicum ius ab antiquissima ætate Germaniæ Inferioris pleræque, nisi qua ad Rhenum excurrit, vnum ac proprium fuit. Et post subiugatas Sclauicas ditiones, iis idem ius aut impositum, aut sponte ab iis susceptum. Igitur præter pauciores consuetudines singulares, non fuit ius, quo se cum reliquo rerum statu, atque cum auctoritate opi-

nionum,

nionum, prouinciæ, abdicato Saxonico iure, commodius reciperent, ac ipsum Romanum. Contra in Germania Superiori fuere plures antiquissimæ leges singularium populorum. Cognitæ sunt *leges vetustæ Boioariorum*, *Alemannorum*, *Francorumque & Saliorum & Ripuariorum.* Legibus istis verissima & primæua patriæ nostræ instituta contineri, plusquam manifestum est. Nec in eo quisquam hæret, quod si omnino seriori tempore siue Sueuicum, siue Francicum, ius communiorem obseruantiam in Germania Superiori impetrauerit, cum eo tamen simul singularia gentium iura probe seruata & custodita fuerint. Ad ea proinde sola, aut magnam partem tamen, reditum, si demus, quod quidem multis dubiis inuolutum esse non dissimulauimus, aliquod tempus communioris Sueuici iuris quondam viguisse. Condita sunt tempore magno interregno vicino *prouincialia iura Bauarica*, *Austriaca*, *Franconica*, *cetera.* Nam legislatoria potestate potiti nostri principes, impense quodammodo gestierunt nouos Iustinianos agere. Nouis istiusmodi prouincialibus iuribus optimam materiem præbuerunt

buerunt vetera Germaniæ inſtituta. Indeque fit, vt licet labefactata communioris ſiue Sueuici, ſiue Francici, iuris auctoritate, *minime* tamen adeo *de principiis Germanici iuris*, præcipue in noſtro argumento, in *Superioris Germaniæ prouinciis actum* videamus.

§. XLVIII.

Ita, quod caput rei eſt, *coniugalium bonorum communionem* ſeruant Franconiæ Sueuiæque pleræque ditiones. IVST. VERACIVS *Conſuet. Bamberg. P. II. qu. 1. ſequ. Landgerichts-Ordnung des Herz. Francken. P. III. tit. 88. §. 2.* LVDEWIG. *Opuſc. Miſc. Lib. IV. op. 7. p. 1301. ſequ.* Qui poſterior horum iurium conſultiſſimus auctor plura dabit. Auſtriæ eandem communionem probatam dudum fuiſſe, patet ex Auſtriaco veteri iure, quod edidit LVDEWIG. *Reliqu. T. IV. p. 9. §. 18.* Non vacat ſingulares prouinciales leges accuratius excutere, nouaque inde lumina noſtro argumento arceſſere. Fundamento maritalium iurium, quippe bonorum communione, modo ſeruato, dubium ſane non eſt, reliqua priſci moris

ris & iuris capita in nostra causa plurima, saltem non pauca, ceteroquin superesse. Quædam enim passim non minus amore ac veneratione Romani iuris mutata & correcta esse, id iterum prorsus negare nolo. Si rem tamen generatim æstimes, quod modo innui, tanti non videtur esse, certe quantum ad nostram causam pertinet, mutatio, quæ in Germania Superiori in nostræ patriæ priscis institutis forte quadam obtigit; quanti esse fortassean constiterit variatio illa, quam Marchiæ, Brunsuicensibus, aliisque regionibus placuisse deprehendimus.

§. XLIX.

Prætereundum hic a nobis minime *Lubecense ius*, quod luculento commentario insignis ICtus DAV. MEVIVS illustrauit. Eo iure plurimæ Saxoniæ Inferioris ciuitates hodieque vtuntur. MEV. *Proleg. Qu. II.* Video quidem, plurimis Romani iuris placitis istud ius attemperatum esse. Vt adeo quæstiones de vxoriis bonis, eorumque differentia & iuribus, valde affines Romano iuri decisiones repererint. Quibus studiis hæc in-

uecta peregrinitas accensenda sit? Nemo id non, vel me silente, intelligit. Interea tamen, ex priscis Germaniæ institutis, *coniugalium bonorum communionem* simul *Lubecensi iure seruari*, testis est MEV. *P.II. t. 2. art. 12. n. 18. sequ.* Ast nequit non fateri MEVIVS, esse quodammodo anomalam hanc communionem. Quod facile largior. Nam dum placuit ex magna parte cum Romano iure facere, quod absolute repugnat communioni coniugali, non potuit non distortum quasi ac dissonum ius resurgere, quod simul ex priscis institutis bonorum communioni fauere vellet. IDEM *P. I. t. 5. a. 5. n. 15. sequ.* Magis *Hamburgensium statuta*, in insigni quadam quæstione, pro sola coniugali communione pronunciarunt. De quo deinceps agendi locus. *Hæreditates coniugum superstitum* Lubecensi iure multum seruarunt prisci moris. Dum adessent ex matrimonio liberi, & mater in viduitate duraret, vsumfructum bonorum illa seruat. Liberis non existentibus, cedunt superstiti præter bona propria, ea etiam, quæ acquisita sunt stante matrimonio. Quod ita teneri Lubecensi iure, defendit ME-

VIVS

VIVS *P. II. t. 2. a. 12. n. 93. sequ.* Cetera diuiduntur bona defuncti omnia inter superstitem & defuncti hæredes. Istud sane Germanicarum gentium variis moribus non repugnat. Nam vtut perfecta communio plenam hæreditatem, saltem perpetuum vsumfructum, posceret, hoc casu tamen putatum, hæredes non inique succedere in communis partis iura. MEV. *d. l. n. 22. sequ.* Argumentum vero alienius a nostro instituto non moror diutius.

§. L.

Habeo præcipue in Germania Inferiori, vbi in tota nostra causa Romani iuris placitis repugnatum, & prisca patriæ iura continenti vsu mordicus conseruata esse deprehendo. Testis est SIMON A GROENEWEGEN, præclarus ICtus, plerasque doctrinas *Romanæ iurisprudentiæ in causa nostra exulare in Belgio fere vniuerso.* Quid quod ARGENTRÆVS, MOLINÆVS, aliique Gallicani doctores asseuerent, Galliam pleramque prisco more, per Francos præsertim illato, coniugalium bonorum communionem consectari. Vnde ARGENTR.

ad Consuetud. Britann. Art. CCCCIX. gloss. 1. eleganter monet, *omnia talia Romani iuris placita, quae huic communioni repugnant, puluerem & tribunalia inituro iterum dediscenda esse.* Hoc noto, perperam fere GROENEWEGIVM librum suum inscripsisse *de legibus*, non tantum *de inusitatis*, quod recte dixerit, verum etiam *abrogatis.* Abrogatio praemittit iuris alicuius receptionem & introductum vsum. At Romanum ius in multis inusitatum est in Belgio, imo & in Germania, quia eatenus nunquam receptum. Quia igitur non receptum, ergo neque in talibus argumentis abrogatum. Ius vetustius obstitit Romani iuris receptioni. Non ius nouius ius introductum iterum abrogauit. Quod, quo *communior formula in nostra Germania abrogatas leges crepat*, eo magis *vitiositas huius dictionis* cauenda est. Nam vere nunquam Romana quaedam lex abrogata a nobis recte dicitur, nisi constiterit, eam vsu aliquamdiu publico seruatam, & deinceps noua siue lege, siue consuetudine, antiquatam esse.

§. LI.

§. LI.

Singulatim obseruare licet, quod *in Belgio vtriusque coniugum bona* propria, etiam immobilia, *per matrimonii vinculum, tam quoad possessionem, quam quoad dominium, communia* semper & absolute fiant. GROT. *Introd. Lib. II. part. II. n. 4. & alii, quos laudat* GROENEW. *ad tit. I. Quib. alien. lic. p. 24.* Inde porro frustra ibi sunt, quae de fructuum maritali perceptione, aut eorum, quippe communium, soluto matrimonio instituenda diuisione inter virum & vxorem afferuntur. GROENEW. *ad t. D. Sol. matrim. p. 182. & ad t. C. d. Iure dot. p. 186.* Mariti non soli onera matrimonii sustinent, sed vxores cum ipsis. Igitur & hae tum lucri, tum damni, sunt participes. Ferunt aes alienum, & filiabus non magis pater, quam mater, ex communibus bonis dotem praestat. IDEM. *ad t. C. d. Iure dot. p. 186.* Si dotium nomen hactenus tueare, vt bona notet a parentibus filiabus concessa, ceterum *dotium vsus ac priuilegia*, propter coniugalem bonorum communionem, *vna cum donatione pro-*

tur, *maluerunt toti Saxonico iuri nuncium remittere.* Ibi non omnes quidem Germanicæ conſuetudines penitus in terris, quæ proprio prouinciali iure deinceps vti cœperunt, antiquatæ ſunt. RHET. *d. l. n. 48. p. 12.* Verum id non negari poteſt de multis, etiam ad noſtrum argumentum quantum pertinet. Ita expreſſa lege in Brunſuicenſi terra communio bonorum coniugalium ſublata creditur. *Perill.* DE BERGER *P. I. Reſp. 212. p. 364. 65.* Acceſſum magis ad Romani iuris placita. Quæ iuris communis inſtar expreſſa lege etiam in Marchia obſeruari placuit. DISTELMEIER. *Conſuetud. March. P. II. t. 1.* Ita etiam alibi. Vbi adſerui quidem copioſe, hæc Romana placita repugnare prorſus morum noſtrorum propriæ indoli. At facile id probatum darem, dum libuit peregrinum jus conſectari, præſtitiſſe ad eius analogiam prouinciales leges accuratius conformare, quam, commixtis & confuſis diuerſiſſimorum iurium principiis, in ancipiti atque incerto iure euagari.

§. XLVI.

De Sueuico, quod idem multi cum Fran-

Francico, aut Franconico etiam, iure faciunt, habeo minus certi, an sane idem vtrumque fuerit, & an istud, quod *Speculi Sueuici* nomine circumfertur? Sunt qui negant vnam & alteram quæstionem. Sunt qui affirmant. Quam contentionem hoc loco meam non facio. Quicquid rei est, Speculum Sueuicum nos limpida patrii iuris nostri principia, ratione coniugalis bonorum communionis & vsusfructus, ita vt supra patuit, docuit. SCHILTER. *d. l. XLI. 75. 76.* Quem egregium doctorem præter opinionem reperio hoc loco prorsus mecum facere & rationes subducere. Nimirum *non potuisse non ius Sueuicum*, adde Saxonicum, *communem vsumfructum, etiam post fata durantem, adserere, dum,* * *fiducia stabilis certique matrimonii, sola bonorum communione niteretur.* Contra *Romanum ius*, * *conscientia licentiosorum diuortiorum, necessario separandis coniugum bonis, indeque diuersis manantibus iuribus, studuisse.* Ponam alioquin hoc loco, traditis Sueuici scripti iuris quondam Germaniam Superiorem totam, puta Sueuiam, Franconiam, Boioariam, Austriam ac Rhenanas terras, vixisse.

Quod

Quod quidem valde impugnat *Ill.* LVDEWIG. *ad A. B. Tit. V. §. 1. p. 511.* Sane minus dubium, in plerisque, quas adpellaui, regionibus sensim non minus cœpisse a communiori Sueuico Francicoue, si quod fuit, iure abscedi. Vnde est, quod doctores negant, Speculi Sueuici magnam hodie auctoritatem superesse. STEPH. CHRIST. HARPRECHT. *d. Speculi Sueuici non vsu moderno. Cap. III.* Nego vero, per hanc abscessionem, quantumuis probata detur, adeo actum esse de patrio in nostra causa iure, quam illud magnam partem fateri de discessionis a Saxonico iure rationibus necesse habui.

§. XLVII.

Nempe Saxonicum ius ab antiquissima ætate Germaniæ Inferioris pleræque, nisi qua ad Rhenum excurrit, vnum ac proprium fuit. Et post subiugatas Sclauicas ditiones, iis idem ius aut impositum, aut sponte ab iis susceptum. Igitur præter pauciores consuetudines singulares, non fuit ius, quo se cum reliquo rerum statu, atque cum auctoritate opinionum,

nionum, prouinciæ, abdicato Saxonico iure, commodius reciperent, ac ipsum Romanum. Contra in Germania Superiori fuere plures antiquissimæ leges singularium populorum. Cognitæ sunt *leges vetustæ Boioariorum, Alemannorum, Francorumque & Saliorum & Ripuariorum.* Legibus istis verissima & primæua patriæ nostræ instituta contineri, plusquam manifestum est. Nec in eo quisquam hæret, quod si omnino seriori tempore siue Sueuicum, siue Francicum, ius communiorem obseruantiam in Germania Superiori impetrauerit, cum eo tamen simul singularia gentium iura probe seruata & custodita fuerint. Ad ea proinde sola, aut magnam partem tamen, reditum, si demus, quod quidem multis dubiis inuolutum esse non dissimulauimus, aliquod tempus communioris Sueuici iuris quondam viguisse. Condita sunt tempore magno interregno vicino *prouincialia iura Bauarica, Austriaca, Franconica, cetera.* Nam legislatoria potestate potiti nostri principes, impense quodammodo gestierunt nouos Iustinianos agere. Nouis istiusmodi prouincialibus iuribus optimam materiem præ-

buerunt

buerunt vetera Germaniæ instituta. Indeque fit, vt licet labefactata communioris siue Sueuici, siue Francici, iuris auctoritate, *minime* tamen adeo *de principiis Germanici iuris*, præcipue in nostro argumento, in *Superioris Germaniæ prouinciis actum* videamus.

§. XLVIII.

Ita, quod caput rei est, *coniugalium bonorum communionem* seruant Franconiæ Sueuiæque pleræque ditiones. IVST. VERACIVS *Consuet. Bamberg. P. II. qu. 1. sequ. Landgerichts-Ordnung des Herz. Francken. P. III. tit. 88. §. 2.* LVDEWIG. *Opusc. Misc. Lib. IV. op. 7. p. 1301. sequ.* Qui posterior horum iurium consultissimus auctor plura dabit. Austriæ eandem communionem probatam dudum fuisse, patet ex Austriaco veteri iure, quod edidit LVDEWIG. *Reliqu. T. IV. p. 9. §. 18.* Non vacat singulares prouinciales leges accuratius excutere, nouaque inde lumina nostro argumento arcessere. Fundamento maritalium iurium, quippe bonorum communione, modo seruato, dubium sane non est, reliqua prisci moris

ris & iuris capita in nostra causa plurima, saltem non pauca, ceteroquin superesse. Quædam enim passim non minus amore ac veneratione Romani iuris mutata & correcta esse, id iterum prorsus negare nolo. Si rem tamen generatim æstimes, quod modo innui, tanti non videtur esse, certe quantum ad nostram causam pertinet, mutatio, quæ in Germania Superiori in nostræ patriæ priscis institutis forte quadam obtigit; quanti esse fortassean constiterit variatio illa, quam Marchiæ, Brunsuicensibus, aliisque regionibus placuisse deprehendimus.

§. XLIX.

Prætereundum hic a nobis minime *Lubecense ius*, quod luculento commentario insignis ICtus DAV. MEVIVS illustrauit. Eo iure plurimæ Saxoniæ Inferioris ciuitates hodieque vtuntur. MEV. *Proleg. Qu. II.* Video quidem, plurimis Romani iuris placitis istud ius attemperatum esse. Vt adeo quæstiones de vxoriis bonis, eorumque differentia & iuribus, valde affines Romano iuri decisiones repererint. Quibus studiis hæc in-

uecta peregrinitas accensenda sit? Nemo id non, vel me silente, intelligit. Interea tamen, ex priscis Germaniæ institutis, *coniugalium bonorum communionem* simul *Lubecensi iure seruari*, testis est MEV. *P. II. t. 2. art. 12. n. 18. sequ.* Ast nequit non fateri MEVIVS, esse quodammodo anomalam hanc communionem. Quod facile largior. Nam dum placuit ex magna parte cum Romano iure facere, quod absolute repugnat communioni coniugali, non potuit non distortum quasi ac dissonum ius resurgere, quod simul ex priscis institutis bonorum communioni fauere vellet. IDEM *P. I. t. 5. a. 5. n. 15. sequ.* Magis *Hamburgensium statuta*, in insigni quadam quæstione, pro sola coniugali communione pronunciarunt. De quo deinceps agendi locus. *Hæreditates coniugum superstitum* Lubecensi iure multum seruarunt prisci moris. Dum adessent ex matrimonio liberi, & mater in viduitate duraret, vsumfructum bonorum illa seruat. Liberis non existentibus, cedunt superstiti præter bona propria, ea etiam, quæ acquisita sunt stante matrimonio. Quod ita teneri Lubecensi iure, defendit ME-

VIVS

VIVS *P. II. t. 2. a. 12. n. 93. sequ.* Cetera diuiduntur bona defuncti omnia inter superstitem & defuncti hæredes. Istud sane Germanicarum gentium variis moribus non repugnat. Nam vtut perfecta communio plenam hæreditatem, saltem perpetuum vsumfructum, posceret, hoc casu tamen putatum, hæredes non inique succedere in communis partis iura. MEV. *d. l. n. 22. sequ.* Argumentum vero alienius a nostro instituto non moror diutius.

§. L.

Habeo præcipue in Germania Inferiori, vbi in tota nostra causa Romani iuris placitis repugnatum, & prisca patriæ iura continenti vsu mordicus conseruata esse deprehendo. Testis est SIMON A GROENEWEGEN, præclarus ICtus, plerasque doctrinas *Romanæ iurisprudentiæ in causa nostra exulare in Belgio fere vniuerso.* Quid quod ARGENTRÆVS, MOLINÆVS, aliique Gallicani doctores asseuerent, Galliam pleramque prisco more, per Francos præsertim illato, coniugalium bonorum communionem consectari. Vnde ARGENTR.

ad Consuetud. Britann. Art. CCCCIX. gloss. 1. eleganter monet, *omnia talia Romani iuris placita, quæ huic communioni repugnant, puluerem & tribunalia inituro iterum dediscenda esse.* Hoc noto, perperam fere GROENEWEGIVM librum suum inscripsisse *de legibus*, non tantum *de inusitatis*, quod recte dixerit, verum etiam *abrogatis*. Abrogatio præmittit iuris alicuius receptionem & introductum vsum. At Romanum ius in multis inusitatum est in Belgio, imo & in Germania, quia eatenus nunquam receptum. Quia igitur non receptum, ergo neque in talibus argumentis abrogatum. Ius vetustius obstitit Romani iuris receptioni. Non ius nouius ius introductum iterum abrogauit. Quod, quo *communior formula in nostra Germania abrogatas leges crepat*, eo magis *vitiositas huius dictionis* cauenda est. Nam vere nunquam Romana quædam lex abrogata a nobis recte dicitur, nisi constiterit, eam vsu aliquamdiu publico seruatam, & deinceps noua siue lege, siue consuetudine, antiquatam esse.

§. LI.

§. LI.

Singulatim obseruare licet, quod *in Belgio vtriusque coniugum bona* propria, etiam immobilia, *per matrimonii vinculum, tam quoad possessionem, quam quoad dominium, communia* semper & absolute fiant. GROT. *Introd. Lib. II. part. II. n. 4. & alii, quos laudat* GROENEW. *ad tit. I. Quib. alien. lic. p. 24.* Inde porro frustra ibi sunt, quae de fructuum maritali perceptione, aut eorum, quippe communium, soluto matrimonio instituenda diuisione inter virum & vxorem afferuntur. GROENEW. *ad t. D. Sol. matrim. p. 182. & ad t. C. d. Iure dot. p. 186.* Mariti non soli onera matrimonii sustinent, sed vxores cum ipsis. Igitur & hae tum lucri, tum damni, sunt participes. Ferunt aes alienum, & filiabus non magis pater, quam mater, ex communibus bonis dotem praestat. IDEM *ad t. C. d. Iure dot. p. 186.* Si dotium nomen hactenus tueare, vt bona notet a parentibus filiabus concessa, ceterum *dotium vsus ac priuilegia*, propter coniugalem bonorum communionem, *vna cum donatione pro-*

pter nuptias, *cessant* fere *in Belgio & vicinis regionibus.* Id prorsus, nisi pactis ab illa communione omnino recessum, ac ad Romanum ius accessum fuerit. IDEM *d. l. p. 185. 187. ad t. C. d. Donat. ante nupt. p. 169.* Quibus & pluribus in argumentis quid in causa nostra ad naturalem simplicitatem, & priscos patriæ mores, propius potuerit constitui ac seruari, ego quidem non video.

§. LII.

Extra Germaniam, peruestigando principia nostri patrii iuris, euagari non multum libet. Interea MEVIVS *ad Ius Lub. Lib. I. t. 5. a. 5. n. 14.* plures doctores in testimonium aduocat, qui *communionem coniugalium bonorum moribus Hispaniæ*, *Galliæ*, *Daniæ*, *imo partis Italiæ*, *hodieque custodiri* adseuerant. Quod ille silet, *Sueci* etiam *bonorum communioni hodieque fauent.* Dos Romani iuris sensu Suecis mansit incognita. Morgengaba, seu matutinale donum, ipsis Germanicæ dotis loco est. LOCCEN. *Antiquit. Sueo-Goth. Lib. II. c. 24. Syn. Iur. priu. Diss. VII. m. 2.* Et apud reliquas gentes, Germanica

nica bonorum communione seruata, non possunt non explodi pleraque Romani iuris de dotibus, bonorum vxoriorum differentia, mariti oneribus, fructibus, similiaque argumenta. Nolui istud transmissum silentio. Nam Suecani mores, prisci retinentiores, commode testantur de antiquioribus Germaniæ consuetudinibus. Siquidem Sueci antiquitus ad Germanicas gentes accensiti sunt. In Hispaniam vero, Galliam & Italiam, Germanici mores illati a Gothis, Sueuis, Francis, Longobardis, Germanicis populis. Qui *mores* durant, *satis fidi originis indices*, dum alioquin origines Germanicæ vicinorum regnorum obliuione quodammodo cœperint sepeliri. Legi meretur CONRING. *Praef. ad* TACITI *Edit. primam. p. 38.* Qui argumento hoc generatim Germanicæ antiquitatis notitiam præstabilem deprædicat.

§. LIII.

Ex diuerticulo breui statim in viam redeo. Vtut enim in nostra causa tertio abhinc circiter seculo Romani iuris siue vsus, siue abusus, plenius in fora nostra,

quod vidimus, ſe immiſerit, *ſeruant* tamen *in tota Germania*, imo etiam in vicinis regionibus, *feudalia inſtituta multum auiti moris*. In iis hodieque frequentantur *dotalitia*. Quorum nec nomen nouum, & indoles ipſa ex prima Germanica antiquitate oriunda. *S. h. §. 31. fin.* SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. 73.* Dotalitium, ſi admixtam peregrinitatem præterieris, vere idem, ac Germanica dos a TACITO *Germ. Cap. XIIX.* definita. Idem vtriusque finis, nempe prouiſio vitæ & alimentorum vxoris, dum fieret vidua. Romanæ ac Germanicæ doti, ita etiam dotalitio, nullum inter ſe commercium. Vnde CHOPPINVM *Lib. II. d. Mor. Paris. t. 2. §. 4.* vtraque iura confundentem, notat SCHILTER. *d. l. §. 68.* Maritalis in dotalitio vſusfructus, non alius, quam in bonis propriis. Quo nomine fortaſſis conueniret dotalitio, et Romanorum donationi ante aut propter nuptias. Nam in hac donatione Romanus maritus non ſecus, ac in reliquis ſuis bonis vſumfructum proprietatem concomitantem habiturus erat. Ceterum, quam in potioribus aliena ſit donatio propter nuptias in dotis ſecurita-

tem

tem concessa, & communiter reuocabilis, a dotalitio; id nemo non videt. SCHILTER. *d. l.* §. *86.* MVLLER. *ad* STRVV. *S. I. C. Ex. XXX.* §. *36. p. 462.* Nec rectius comparaueris inter se Romanam donationem propter nuptias, cum Germanica morgengaba. Cuius insignem, maxime inter illustres, vsum superesse, abunde constat. MVLLER *d. l.* §. *32. p. 458.* Si quando etiam, apparent in feudalibus institutis satis multa coniugalis bonorum communionis documenta. Namque quæcunque bona vxor in matrimonium intulerit, siue dotis, sive alio nomine ea designaueris, nisi pacta obstent, plenam eunt in communionem. Eorum ex feudo nulla est in regula repetitio. HORN. *Iurisprud. F. Cap. XXI.* §. *7. sequ.* Saltem non potest inde maritalis vsusfructus non in plerisque sequi vsusfructus indolem, quam superius ex Germanico iure definiuimus.

§. LIV.

Cum ostensis Germanici iuris placitis *in feudalibus* religiosius conseruatis, patuere tamen iam in antecessum *non*

minimae cum illis *Romanarum doctrinarum factae mixturae.* Non placere potuissent Germanici mores, nisi Romanam vestem induissent. Ergo dotalitii quantitatem vulgo aestimare coeptum, ex modo Romanae dotis & donationis propter nuptias. Et inde siue duplicatae, siue quadruplatae, vsurae in dotalitium imputantur, ex quo aut ad solam dotem, aut simul ad donationem propter nuptias respicitur. HORN. *d. l.* §. *8.* Dote promissa, sed non illata, statuerunt doctores, viduam non audiri, licet, dote cum vsuris oblata, dotalitii constitutionem petierit. Obstare *Authenticam*, *Dos data. in f. C. d. Donat. ante nupt.* Quod rectius iterum exploserunt mores, maxime Saxonici, ad id fortassis attendentes, quod Germanicae dotis constitutio necessarii quondam iuris etiam tum fuerit, quando vxor plane nulla bona aut munera, quae Longobardi *Phaderphium* adpellarunt, (DV FRESNE *Gloss. v. Faderium*) ex paterna domo in matrimonium intulit. HORN. *d. l.* §. *7.* Igitur frustra visum prouocari ad alienam prorsus a dotalitii rationibus donationem propter nuptias, quae non data dote non

intel-

intelligatur. Adde dotis fructus tantum Romano iure matrimonii onera respexisse. Contra Germanicum maritum fructus quidem vxoriorum bonorum vna cum coniuge percipere, at matrimonii onera ferre citra horum fructuum respectum. Vnde fructibus licet plane non a marito perceptis, quippe quia vxor nulla bona intulerit, non cessare tamen antiquiori iure dotalitii constitutionem. Quanto id minus etiam nouiori iure, dum omnino vidua promissam dotem cum vsuris adhuc obtulerit.

§. LV.

Restat denique post separatim primo in nostra causa, & praeterea coniunctim, considerata principia iuris, maxime Romani ac Germanici, vt postremum strictim indicemus *ius ipsum ex diuersis principiis mixtum, quod hodieque tum in scholis, tum in foro frequentetur.* Ratione idonea tale mixtum ius introductum esse, iam supra negaui. *S. h. §. 38. & 40.* Constitit, vere factum istud variis tum affectatis, tum obtrusis, erroribus

ribus debere originem. Consuetudine demum mixtura iuris firmari, & auctoritatem acquirere. Melius quidem, si omnino nostros mores migrare conuenerat, illæ regiones egere, quæ ius Romanum plenius ac integrius recepere. Longe ibi parcior, nisi quæ alioquin Romanarum legum subtilitati accepta referenda, confusio aut fluctuatio. Pauciores consuetudines reliquæ facilius analogiæ iuris attemperantur. *S. b. §. 45. fin.* Ita parum oppido est, quod in Brandenburgensi Marchia, aut in Brunsuicensibus terris, a principiis Romani iuris in decisionibus abeundum sit. Siquidem communione bonorum coniugalium fere, quod saltem passim creditur, sublata, idoneum fundamentum Romani iuris obseruantia reperit. Et licet in Marchia hæreditates coniugum aliquid veteris instituti retinuerint, vxoriorum bonorum tamen distinctio stabilita efficit, vt statuti quicquid supersit, non nisi fortassis in vim pacti decisiones Romani iuris limitet. SCHEPLITZ. ad DISTELM. *P. III. t. 2. §. 1. 4.*

§. LVI.

§. LVI.

In vniuerſum *in Germanicis academiis*, etiam earum ditionum, in quibus adhuc apertius fori auctoritas pugnat contra *Romanum ius*, huius placita *de vxoriorum bonorum ſeparatione a maritalibus*, *cum ſuis conſectariis*, *ſtant in vicem principalis iuris*. Reuixiſſe putes, aut potius Germanis antea inuiſam aut incognitam emerſiſſe, diuortiorum licentiam, prauosque illos Romanos mores in Germania inualuiſſe, quibus, ita vt oſtenſum eſt, Romanæ quondam leges ſcriptæ ſunt. *S. b.* §. *9. 11. 12.* Tam pugnatur vbique argumentis, quæ ad coniugalium bonorum ſeparationem pertinent. Viget in doctrinis ſolennis vxoriorum bonorum diſtinctio in dotalia, paraphernalia; quibus plures, ne quid Romanarum diuiſionum pereat, tertium genus receptitiorum bonorum addunt. Videas, matrimonii onera vt ferat maritus, dotis ſcopum finemque prædicari. Vnde maritalis vſusfructus nequit non ad hunc finem reſtringi. Et quæ alia Romanæ iuriſprudentiæ in noſtra cauſa præcepta

ex

ex superioribus hic repetere nihil attinet. Ast mixturam academico iuri nequit non inferre, quod vtique doctores obseruant, vsu multarum Germaniæ regionum secus haberi, quam Romanum ius statuerit. Ergo *fit statutorum post omnia reliqua mentio.* Hæc genuinum Germanicum ius loqui, verumque adeo Germanorum ciuile ius præbere, passim aut ignoratur, aut dissimulatur. Habentur non raro statuta pro consuetudinibus perperam inuectis, quæ strictissimæ sint interpretationis. Defendant licet mordicus statuta bonorum coniugalium communionem, adeoque communem vsumfructum, contra tamen itur ex Romani iuris, separationem istorum bonorum inducentis, principiis. In quibus casibus clare statuta causam nostram decidunt, inuitis propemodum doctoribus manifesto correcta putatur stare iurisprudentia. Siquando vel minimum pateat dubium, Romanæ leges adeuntur. Analogia enim patrii iuris tanti non vsquam fere habetur, vt inde decisiones peti queant. Quo præter vllam vel probabilem rationem adplicantur supra in *Proœmio* §. 4. productæ leges, *l.* 162. *D. d.*

R. I.

R. l. & l. 15. D. d. LL. Ita mixtum illud ex principiis diuerſis ius ita plurimi doctores habent, vt pro Romani iuris auctoritate pugnare ſui quodammodo credant eſſe officii. Quod cordatiores quidem doctores quosdam, rectius ſubductis rationibus, hodie cauere, & magis ſapere cœpiſſe; id pertinet ad neceſſariam æque ac ſperatam, & diu exſpectatam, iurisprudentiæ noſtræ emendationem.

§. LVII.

Viſum hac *S. §. 41. & 42.* ius Saxonicum, ſiue ſcriptum, ſiue non ſcriptum, id enim perinde eſt, ad indolem Germanici auiti iuris quam proxime accedere. In noſtris academiis illud poſt Romanum ius doceri, nemo negat. At cœcus ſit, qui non viderit, vltra ſolennem ſtatutorum æſtimationem parum auctoritatis ei in noſtra cauſa, nam cetera nihil moror, etiam hic attribui. *Diſtinctio vxoriorum bonorum in dotalia, paraphernalia & receptitia, præter indolem Saxonici iuris admixta.* Referre id parum videatur, cum tamen maritalis vſusfructus

fructus ad omnia vxoris bona protentus sit. Longe autem secius se res habet. Defendunt passim nostri doctores, bona vxoris in matrimonium illata non in dubio pro dotalibus, sed potius pro paraphernalibus haberi. HARTM. PISTOR. *Obs. XLVI. n. 5. 6.* CARPZOV. *P. II. C. 16. d. 11. n. 4.* Istud Romani iuris ex studio separandi coniugali bona oriundum est principium. Minuit istud quam maxime maritalem vsumfructum, qui magis legalis in dotalibus bonis censetur esse. Facilior reuocandi vxori copia maritalem vsumfructum ex paraphernalibus, dum fortassis ad inopiam maritus vergat. Quae causa manet sequentem tractationem. Saxonicum ius nihil magis, quam Germanicum reliquum, agnoscit, sed reprobat potius istum finem maritalis vsusfructus, vt maritus onera matrimonii ferat. Is finis tamen *per doctores* inuectus est in patrium ius, & *communis coniugum vsusfructus quodammodo eliminatus*. Peregrina in Saxonico iure Romana dos, accepit priuilegia, vxorum fauore necessariis quondam rationibus ab Romanis introducta. Sed metuunt ea doctores ad paraphernalia protendere. Et ita fere

ius

ius Saxonicum nouius decidit. CARPZ. *P. l. c. 28. d. 64. sequ. 89. sequ.* Sane etiamnum igitur facile patet, analogiæ Saxonici iuris parum tribui, dum Romanæ obſtant leges. Et quando quidam doctores id moliuntur, quod ſæpiuſcule fieri manifeſtum eſt, dum alii in contrarium tendunt, non probe diſtinctis & ſeparatis principiis, vt fieri ſolet in eruditorum ſubortis contentionibus, incertius inde fit & conturbatius ius noſtrum, quam ſecurius.

§. LIIX.

Vſus fori, quem generaliorem dixerim, *aliquantisper, non plane vero, recedit a ſolennibus academiarum doctrinis.* Fatendum tamen, hunc vſum generalius magis fauere inſtitutis patriis, cum vulgares academicæ doctrinæ magis Romanam iurisprudentiam tueantur. Iam diu non nuper, eſt, quod cœptum disquiri, *An Romanæ dotis, & conſequenter donationis propter nuptias, parapbernorum, ſeparatique vſusfructus maritalis, hodiernis moribus, & in foro noſtro, aliquis ſit, & quis demum ille vſus? S. b. §. 40. fin.* Non

 tantum

tantum separatim in Belgicis prouinciis illorum omnium vsum nullum haberi, post alios audacter asseuerauit GROENEWEGIVS. Qui vero inde pessime audit apud multos doctores. Verum etiam idem adserunt de Germaniae generaliori fori obseruantia, IAC. CVRTIVS *Coniectural. Lib. I. cap. 39.* & GVDELIN. *Lib. I. d. Iure nouiss. c. 8. Neque moribus nostris eam differentiam superesse, quae fuit iure Romano rerum dotalium & parapbernorum, raroque apud Romanos vniuersa sua bona mulierem doti dicasse. l. 9. §. 2. D. d. Iure dot. Quin etiam * causam cessare, ob quam dotes apud Romanos constitutae, vt maritus haberet, vnde eam aleret, ceteraque matrimonii onera ferret, quum reliquas res regulariter vxor sibi retineret, aut praeter dotem fere haberet, iure saltem veteri. Hodie vero vtriusque coniugis bona conferuntur & familiae onera exinde feruntur, atque etiam ex fundis vxorum maritus fructus capit iure maritali.* Quibus verbis SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 78.* & ipse videtur gustare idoneas rationes, per quas vsum fori nostro in argumento Romanis legibus repugnare alii censuerint. Siquidem deinceps addit,

dit, eo vsque modo videri *dotis vsum in foro* supereſſe, *quod dotis priuilegia non tantum dotalitio, ſed etiam his, quæ mulier affert, ſint attributa. Id tamen verum eſſe,* * *ex genuinis principiis iuris noſtri non dari differentiam rerum dotalium & paraphernorum.* * *Verum,* * *vt maritus indifferenter in omnibus idem ius habeat, ita ipſa viciſſim bona ſine diſcrimine eandem naturam & eadem priuilegia obtinere.*

§. LIX.

Eſto dotium priuilegia forum vbique, ſi tamen id doctoribus dabimus, obſeruet. Mixtura hæc vtique Romani iuris foret. Ex Germanico iure id eſſet, vt non ſeparata vxoria bona iisdem priuilegiis fruerentur. Vt tolerabilis erat receptio dotium priuilegiorum, cum Germani non minus vxoribus optime cuperent, ita negari nequit, & hic *ex diuerſis principiis ius quodammodo diſſonum* neceſſario prodire. Priuilegia faciunt contra communionem coniugalium bonorum. Et hæc tamen ipſa communio prohibuit, ne vxoria bona inter ſe differrent; vt ſcilicet deeſſet occaſio a maritalibus opibus ea ſecernendi. Habet id Magdeburgicum ius, vt æquauerit priuilegia, intuitu vxorio-

rum bonorum omnium. *Ord. Iud. Magd. Cap. L.* Schilter. *d. l. §. 79.* Sed adhuc lis eſt inſignis doctorum, an omnino, & qua ratione, Saxonico Electorali iure, nunc quidem proxime reformato, paraphernorum & dotalium bonorum æqualia iura ſtatuantur? Quam contentionem commemorat Schilter. *d. l. §. 80.* Non aliunde contentio venit, niſi quod alii Romani iuris analogiam tuentur, contra alii veteris Saxonici iuris principia ſequuntur. Vnde ſunt fora in Germania, quæ, ſecus ac Schilterus cenſuit, omnino dotium priuilegia reprobarunt. Viderunt nimirum, illa priuilegia in rei veritate contra bonorum communionem, quam eliminare extra ciuitates minime libeat, pugnare. Exempla dabo ampliora in ſequentibus. Et memorabilis præſertim eſt Saxonica noſtra abſceſſio ab illis priuilegiis, nuperrime facta. Quam poſtea viderim. *Vſusfructus maritalis* non minus *in diuerſis foris diuerſa* eſt *aſtimatio.* Prout ſcilicet aut Romano iuri, aut magis Germanicis inſtitutis fauetur. Vt finiam primam de principiis iuris circa maritalem vſumfructum tractationem,

per

per patentiſſimas rationes nunquam non optabile foret, vt diuerſa, quæ reperimus, principia iuris nunquam animus fuiſſet coniungere. Hæc enim tentata coniunctio meram ſaltem, id quod ambigere neminem cenſeo, peperit confuſionem. Pudendum ſane futurum, ſi Romanorum doctorum conſilia patrium ius plane opprimendi ex ſententia hic ſucceſſiſſent. Ita enim optimi mores, multum ſupra deſcripti, conceſſiſſent legibus adprime corrupto reipublicæ ſtatui, ex ipſa Romanorum confeſſione, debitis. At dum fori ſtudium conſeruandi ius patrium, contra doctorum conatus non ſatis validum, in plurimam confuſionem rem noſtram adduxit, ex ea emergendi, ſaltem in noſtro argumento, ſpes non deeſt. Linquamus Romæ Italiæque ſuas leges. Fora, quæ tenent antiquum, caueant ſibi ab imminente peregrinitate. Et præeunte exemplo, diſcant, id enim in votis eſt, reliqua fora, probe diſcretis principiis, prudenter in poſterum & circumſpecte explorare, quorum principiorum ope ad firmum ſtabileque ius contendere valeant.

SECTIO II.
CONCLVSIONES IVRIS CIRCA VSVMFRVCTVM MARITALEM IN BONIS VXORIIS.

§. I.

PRincipiorum iuris in noſtro argumento, quod ſuperſit, nihil eſt. Et quædam conſectaria, quod vix aliter fieri potuit, iam paſſim ſubindeque anteoccupauimus. Eorum autem inſignior patet copia, ac cui exhauriendæ inſtitutum noſtrum ſufficiat. *Non optimi* quidem *ciuitatis noſtræ ſtatus id indicium, quod demum frequentiores vxoriæ rei actiones aut lites, crebriores deciſiones, & ex principiis concluſiones, poſtulauerint.* Felix quondam prædicata Roma, cui propter ſimpliciora iuris principia, & vxoriæ rei cautionum atque actionum ignorantiam potius, quam fugam, nullis fere iudicis ſententiis aut enunciatis iuris, noſtra in cauſa, opus fuerat. *S. I.* §. *8.* Magis vtique noſtri maiores iuris & æqui retinentes & ſtudioſi, quam ipſorum poſteri, & nulla tamen ibi, aut rariora,

riora, & facillimæ diſcuſſionis, de coniugalibus bonis litigia. *Sequiori æuo* non tam mores Germaniæ prorſus mutarunt, quam *ex peregrinis adſcitis & admixtis legibus; in locum quietæ a litibus tranquillitatis, facientibus doctoribus & aduocatis, cauſæ & calumniæ vltro ſucceſſerunt.* Quod eodem quondam modo in Hungaria eueniſſe, iisdem verbis eleganter memoriæ prodidit HOTOMANN. *Anti - Tribon. Cap. XVII.* Iſtud vero magis omnium damnoſum, quod ita vt iam patuit, *commixtis iurium diuerſorum principiis, incerta propemodum ac inſtabilis* in argumento noſtro emerſerit *iurisprudentia.* Vnde quam multæ lites, cum diſtinctis ac ſimplicibus principiis, feſtinum olim exitum habituræ, mutata rerum facie nunc per diuerſa trahuntur, ægreque poſt plurima partium impendia exoptatum exitum ſortiuntur.

§. II.

Duo maxime *inſtabilium deciſionum iuris* reperire licet in praeſenti argumento *initia æque ac incrementa.* Primo id dolendum, atque ex ſuperioribus omni-

no repetendum, quod doctores ius patrium antiquum dedignati, siue eius ignorantia, siue fastidio, Romanum ius, quantumuis inuitis moribus, qua potuere, foris obtrusere. Tum *foris*, magis pro prisco iure pugnantibus, *persuasum* tamen, *vt*, si belle res ageretur, *toties Romanae decisiones, exulante nostri iuris analogia, valerent, quoties leges nostrae aut consuetudines non clarissime loquerentur.* Non ita vnquam Franci Germanique veteres. Ibi iudices ad antiqui iuris constitutionem & formam, id est & praescriptum, & analogiam, plane simpliciterque in dicundo iure remissi. Rex Chlotharius in *Constitutione An. 560. Cap. I. & vlt. ap.* Balvz. *Capit. Franc. p. 7. Per hanc generalem auctoritatem praecipientes iubemus, vt in omnibus causis * antiqui iuris forma seruetur, & nulla sententia a quolibet iudicum vim firmitatis obtineat, quae modum * legis atque * aequitatis excedit. Prouideat ergo strenuitas vniuersorum iudicum, vt praeceptionem hanc sub omni obseruatione custodiant, nec quicquam aliud agere aut iudicare, - - - - quam sexus quarundam gentium (Germanicarum) * iuxta antiqui iuris constitutionem olim vixisse dignoscitur,*

tur, sub aliqua temeritate præsumant. Quas regulas fortassis curatius obseruaturi erant nostri iudices, nisi aut aliud persuasi a doctoribus, aut ipsi etiam bonam partem Romanæ iurisprudentiæ veneratione capti. Optabile foret, vt omnibus doctoribus ita improba sua studia miscendi, hoc est, corrumpendi ius nostrum successissent, vt ingenue confessus est SICHARDVS *ad Rubr. C. d. Donat. ante nupt. n. 12.* sibi euenisse. Consultus ille quondam de iure Germanicæ morgengabæ, eam respondit non valere, propterea quod fiat constante matrimonio post copulam, cuiusmodi donationes ius ciuile reprobet. Addit vero, se insigniter derisum esse atque exsibilatum, cum rectius omnes, ius ciuile ex generali populi consuetudine metiendum esse, iudicauerint. Tum vero rubore suffusus & ipse facile in sententiam diuersam concessit.

§. III.

Pruritus litigandi a causarum patronis sufflaminatus, alteram suppeditauit causam, decisiones instabiles inueniendi. Cum adhuc in Francia nostra iuris patrii

certique vigeret tenax obſeruantia, tamen aſtutia partium nonnunquam via inuenta eſt per cauillationes iuris proficiendi. HINCMAR. *d. Poteſt. Reg. Cap. XV.* *Quando ſperant* (ſiue actores, ſiue rei) *aliquid lucrari*, * *ad legem Romanam ſe conuertunt. Quando vero per legem non æſtimant acquirere*, * *ad capitula* (Francorum) *confugiunt. Sicque interdum fit, vt nec capitula plene obſeruentur, ſed pro nihilo habeantur, nec lex.* Reſpicit HINCMARVS ad ſtatum Italiæ, aut peregrinorum in Francia. Nam ſanxerant capitula Francorum, vt iſtis in caſibus reorum eſſet optio, ſecundum quam legem, an Romanam, vtrum Francicam, iudicari vellent. Ceſſauit hæc optio inter Germanos, & ceſſat vtique hodieque. Interea non raro quotidie ſuccedit ille aſtus, vt dum patroni cauſæ ſuæ nullum ex patriis inſtitutis alioquin vſu ſeruatis præſidium futurum proſpiciant, fucum faciant iudici, oſtentatis Romanæ iuriſprudentiæ præceptis, rationibusque temere ſubductis forte fauorabilem obtineant ſententiam.

§. IV.

Ex Romano iure abunde vidimus maritalem

ritalem vſumfructum ob ſola onera matrimonii conſtitutum. His non latis, eum vſumfructum etiam vel ſtante matrimonio exſpirare, mox porro docebimus. Fuit ille vſusfructus non legalis, niſi in dote. Secus hæc omnia Germanico iure. Quo vſusfructus mariti, ex bonorum communione oriundus, in omnibus vxoris bonis legalis, aut potius vtrinque communis fuit. Paciſci licet Romano iure, vt vſumfructum maritus habeat ſimul in paraphernis. *S. I.* §. *24.* Vbi docui, inconcinnam iuri Romano doctorum concluſionem eſſe, qua ex moribus facile credatur vxor vſumfructum in paraphernis marito conceſſiſſe. Non ita ſane licuit rationes ſecundum Romani iuris rationem ſubducere. *In Germania* vero *vxoris neque pacto expreſſo, neque tacito, maritus indiget, cum generalis ibi vſusfructus omnium bonorum moribus antiquis perſtiterit.* Nec itaque confeſtim extra Saxoniam, transmiſſo Germanico maritalis vſusfructus iure, ad tacitum vxoris conſenſum refugiendum eſt, vt marito vſusfructus in paraphernis adſeratur. Nam ita recte fieret idonea obiectio ex Romano iure contra eos, qui

huius

huius iuris placitis præter rationem nitentur. Si omnino in Brunſuicenſibus terris tacite conſenſiſſe vxor in mariti vſumfructum in paraphernis ſtatuitur, cinnus is eſt iuris. Iſteque partim oriundus ex reliquiis patrii iuris, ſecundum quas vxor facile vſumfructum generalem marito attribuiſſe cenſetur, quia legalis is generalis vſusfructus alioquin eſt; partim acceptus referendus pleniori Romani iuris receptioni, per quam communionem bonorum abrogatam ibi, ſupra vidimus. *S. I. §. 45.* Non ſic deeſſe autem varias difficultates, quibus hæc commemorata mixti iuris concluſio prematur, patet cuilibet.

§. V.

Quæritur, *an paciſci liceat, ne maritus vſumfructum in paraphernis habeat?* Romano iure foret inepta quæſtio, dum ibi citra pacta nullum marito ius in paraphernis conceditur. *l. 8. C. de Pactis conuent.* Analogia Romani iuris de dotibus, quæſtionis deciſionem fere ambiguam reddit. Paciſci licuit, vt plane ſine dote conſtaret matrimonium. *S. I. §. 25.*

Quanto

Quanto magis ergo, dum Germanico generaliori iure parapherna doti æquata ſint, pactum valeat, vt maritus paraphernorum fructus non lucretur? Contra vero MARCELLVS cenſuit, conuentionem non valere, vt fructus in dotem conuerterentur. *l. 4. princ. d. Pactis dotal.* Si iſtud, nec licebit conuenire, vt fructus paraphernorum his ipſis accreſcerent. Ita in difficultatibus inconſulte hæremus, quando meram Germanici iuris quæſtionem ex Romani iuris principiis libramus. Doctores noſtri non dubitant iudicare, licere pactis a Germanica bonorum coniugalium communione, quæ alioquin omnem vxoriorum bonorum differentiam tollit, abſcedere, & ad Romanum ius accedere. Ita ipſe GROENEWEGEN. *ad t. C. d. Iure dot. p. 185.* Quod ſi eſt, dum pacto regulæ Romani iuris obſeruantia ſtabilitur, dubium non eſt, eodem pacto maritum fructus paraphernorum amittere. Quo pertinet, quod docent doctores, *vſumfructum, Saxonico iure marito in paraphernis debitum, legalem eſſe, non tamen abſolute & ſimpliciter, ſed ex hypotheſi, non contradicente ſcilicet vxore ante nuptias.* MVLLER. *ad* STRVV.

STRVV. *Ex. XXIX.* §. 56. p. 407. Dotis fructus debere omnino sufficere marito ad sustinenda matrimonii onera. Suo igitur iure agere vxorem, dum pacto sibi seruet in paraphernis vsumfructum, qui iam sine pactis Romano iure ipsi debeatur. Verum enimuero non valde fallar, fluctuantem, & ex improbe mixtis principiis fere inconcinnam, decisionem hic incusando. Germanico iure habemus coniugalium bonorum communionem, indeque oriundum generalem & communem potius, quam tantum maritalem, vsumfructum; eundemque minime quadam ex hypothesi, sed plane ac simpliciter legalem. Et male huc quadrat Romanus finis maritalis vsusfructus in dote, vt maritus matrimonii onera sustineat. Nam apud Germanos & vir & vxor æquis partibus matrimonii onera ferunt. *S. I.* §. 29. & 37. Proinde suadet Germanici iuris analogia, vt profecto improbemus potius pactum, quo maritus ab vsufructu in paraphernis prohibeatur, quam vt illud adprobemus. Siquidem pactorum quidem ingens religio apud Germanos semper exstitit. At est quodammodo vox

naturæ,

naturæ, vt *non valeant pacta contra bonos mores. l. 6. C. d. Pactis.* Ex bonis moribus autem eſt coniugalis bonorum communio, cum deriuato inde communi vſufructu. Imo & eſt hæc communio ex ſcripto Germanico iure. Cuius fidem faciunt veteres Germanicæ leges, prætereaque Saxonicum Sueuicumque ius ſcriptum. *S. I.* §. *41.* Reprobauit Germanicum ius omnem vxoriorum bonorum differentiam. Et cum plurima exempla habeamus pactorum de ſucceſſionibus coniugum initorum, deſtituimur tamen in Germania paulo antiquiori plane exemplo pacti, quo communio bonorum & communis vſusfructus inter coniuges excluſus fuerit. Romani non locum fecere pactis, quibus mulieris deterior fieret conditio. *l. 14. l. 17. D. d. Pactis dotal.* Ita nos ſane *Germanici iuris ex analogia* cenſeamus, ſine grauiſſima ratione *locum non eſſe pactis, quibus ipſius matrimonii peior reddatur conditio.* Ita ſtatuerim in regula ex bonis moribus, ex iure ſcripto, atque ex iuris obſeruantia, nec moror pauciores exceptiones. In contraria ſententia doctores eſſe ac praxin, non id latet. Sed nec la-

tet

tet nunc, præter idoneam rationem iſta via mixto atque inſtabili iuri portam patefieri.

§. VI.

Cum dotium qualemcunque vſum ex Romano iure receperimus, ſæpe quæſitum litigatumque eſt, *pater an vtrique parentes dotem filiæ nubenti præſtent?* Porro *præmortua vxore, an pater ex ſuo debeat, vtrum poſſit & præſumatur, ex vxoriis bonis filiam dotare?* In prima quæſtione parum hærent Romani iuris interpretes. Eſt enim iſto iure expeditum, maritum omnia ferre matrimonii onera, ideoque ſolum dotis fructus eius lucro cedere. *l. 7. princ. D. d. Iure dot. l. 20. C. eod.* Quod dum erat, & omnia conſtante matrimonio acquiſita marito acquirebantur, recte paternum officium habitum, dotare filias, & filiis de donatione propter nuptias proſpicere. *l. vlt. C. d. dotis promiſſ. l. 19. D. d. Ritu nupt.* Mater, niſi ex magna & probabili cauſa, dotem pro filia dare non cogi poterat. *l. 14. C. d. Iure dot.* Vnde, puto, ad alteram quæſtionem fruſtra doctores Romanas leges contendunt,

dunt, cum iuris reliqui analogia facilem earum scrupulositatem diluendi occasionem suppeditet. Sane inuita vxore non licuit patri ex maternis bonis filiam dotare, adeo vt matris defunctæ hæres potuerit dotem datam vindicare. *l. 34. D. d. Iure dot.* Ergo non minus defuncta vxore, quam ea viuente, præstatio dotis, aut donationis propter nuptias, mansit in regula paternum officium. Matris hæredes ne quidem in regula fuerunt eius liberi. Sed pone fuisse hæredes quibusdam in casibus, & ita liberos maternas opes, ita vt solus vsusfructus patris fuerit, habuisse. Tum satis clare loquitur *l. vlt. C. d. Dotis promiss.* Semper adhuc præsumi patrem ex sua liberalitate dotem dedisse, nisi aut prorsus inops sit, aut clarissime mentem, quod ex maternis bonis dotem præstiterit, declaret. Quam legis æquitatem quidem LEO Imperator in *Nou. Constit. XXI.* impugnat, & paulo aliter causam decidit. Sed defendit idoneis rationibus æquitatem, scilicet conditionalem, productæ legis, eamque probe semotis doctorum dubiis explicat, GROENEWEG, *ad d. l. p. 184.* Nempe patri acquisitum

esse quondam vsumfructum omnium bonorum, quæ ad liberos peruenerint. §. *1. I. Per quas personas cuique acquir.* Ad patrem etiam rediisse soluto matrimonio, quod per diuortiorum licentiam crebro accidit, dotem profectitiam, *l. 4. C. Sol. matrim. l. 6. D. d. Iure dot.* Ergo, quadam exceptione a regula, potuisse quidem patrem, vxore defuncta, ex maternis bonis dotem præstare. Sed iniqui quicquam nihil fuisse, quod potius præsumat lex, patrem ex suo dotasse filiam, quam plane, aut in subsidium, ex maternis opibus dotem subministrasse. MVLLER. *ad* STRVV. *Ex. XXX.* §. *3. p. 420. & 424.*

§. VII.

Quam consueuerint iisdem rationibus, scilicet ob necessariam onerum matrimonii curam, & maritalis vsusfructus consequentiam, doctores in Germania patribus onus ex suo dotandi filias imponere, consimilibusque præsumtionibus patrem onerare, vulgo id notum est. MVLLER. *d. l.* Et videatur id commode procedere, dum in quibusdam regionibus

nibus Romani iuris auctoritas plenius stabilita fuerit. Quando tamen nusquam fere adeo prorsus reliquiæ priscæ communionis coniugalium bonorum sublatæ sunt, saltem raro non impeditiores fiunt hæ ex Romano iure conclusiones. In Marchia Brandenburgensi dotis datio nominatim & ad patris, & ad matris, officium pertinet. SCHEPLITZ. *ad* DISTELMEIER. *P. III. t. 3. §. 13.* Quo patrii iuris principio ex communi vsufructu oriundo, seruato, corruit sane æquitas *l. vlt. C. d. Dotis prom.* aliis omnimodo rationibus, ita vt modo visum est, innixa. Quod probe Wurtenbergicum prouinciale ius obseruauit, & non modo communi coniugum oneri filiarum dotis dationem attribuit, verum etiam, dum propria bona liberi habuerint, vt ex istis dos in dubio data esse statuatur, diserte censuit. *Ius Prouinc. Wurtenb. P. IV. t. 13.* LAVTERBACH. *Colleg. Theor. Pr. Pand. t. d. Iure dot. §. X. XVI.* Quanto magis *in Saxonia & Germania pleraque debent exulare peregrini iuris consectaria*, quo firmiora ibi principia coniugalis bonorum communionis, & vsusfructus communis, passim contra doctorum opi-

niones cernuntur perstare. Sit enim, Romanam dotem contra patriorum institutorum indolem apud nos passim receptam esse. Ea non adeo in vniuersum pugnat cum auiti iuris rationibus. Sed oportet in hac causa Romani iuris placita, qua corrigunt ius nostrum, omni ex ratione iurium, stricte accipere. Non putandum, cum Romana dote reliqua eius iura omnia, quibus plane non conuenit cum nostris moribus, simul vsu recepta esse. Quin sequimur potius regulas ipsius Romani iuris, supra in *Proœm.* §. 4. propositas. Quod probe monuit, & pluribus doctorum testimoniis strenue confirmauit GROENEWEGEN. *ad tit. C. d. Dot. promiss. & d. Iure dot. p. 184. & 186.* Vbi valde indignatur, commemorante MYNSINGERO *Cent. V. Obseru. 32. n. 2.* Spirense imperii summum tribunal, in causa per appellationem eo deducta, per sententiam ex Romana lege patri renuenti onus dotandi filiam ex propriis bonis imposuisse. Valere hic ait *l. 12. D. d. Officio Praes.*

§. IIX.

Alimentorum certo respectu eadem

ratio

ratio est, quæ præstandæ dotis. *Romano iure maritalis vsusfructus* eo certius *onus* est, *vt vxorem dotatam maritus alat*, cum is omnino non dotatam alere teneatur. *l. 22. §. 8. D. Soluto matrim. & l. 13. C. d. Negot. gest.* Nostris moribus coniugalium bonorum communis usufructus, communibus operis domesticisque studiis innitens, ægre, quoad concors durat matrimonium, illam Romanam decisionem admittit. Quod longe magis dixerim in causa alimentorum liberis præbendorum. Cessant Germanico iure, aut plane, aut ex parte, passim conseruato, rationes fere omnes, quibus alimentariæ leges Romanæ solis patribus scriptæ sunt. *l. 5. §. 12. 14. l. 8. D. d. Agnosc. & al. liberis.* Non solius mariti lucro apud nos fructus cedunt, sed potius communi vsui coniugum. *Nihil* ergo *iustius* est, *quam quod fructibus, imo ipsis bonis, inter coniuges communicatis, onera etiam matrimonii, & inter ea liberorum alimonia, æquis partibus communia sint.* Quod ita haberi non in Belgio solum, sed in Germania vniuersa, testatur GROENEW. *ad l. 14. D. d. Agnosc. & al. lib. p. 186. & l. 14. C. d. Iure dot. p. 186.* Iam etiam Ponti-

 fex

ſex quondam cenſuit, vt diſſoluto eius auctoritate matrimonio, liberi vtriusque tum patris, tum matris, expenſis nutrirentur. *C. 5. fin. X. d. Eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.* Secundum quam iuris æquitatem, inſuper habita deciſione *Authent. Si pater. C. Diuortio facto, apud quem lib.* pronunciatum eſſe in Gallia & in Belgio, commemorat GROENEW. *ad d. Auth. p. 201.* Praeterea patria poteſtas, Romani iuris ſenſu, cum ſuis conſectariis, Germanicis fere moribus exulat. Quanta ſupereſt poteſtas, ea æque fere ad matrem ſpectat. Ergo & mater, & auus maternus, pro parte ſua tenentur apud nos ad alimenta. Namque eos ius Romanum ab ordinario alimoniæ onere non aliam ob cauſam excuſatos voluit, quam quod liberos & nepotes ex filia non haberent in poteſtate. *l. 8. D. d. Agnoſc. & al. lib.* GROENEWEG. *ad tit. I. d. P. P. p. 5.*

§. IX.

Communis doctorum ſententia eſt, *quod quicquid acquirit vxor, in dubio præſumatur ex bonis mariti acquiſiuiſſe, idque ſolius*

Iouus mariti esse, & in dubio pro marito stare presumtionem, quod huius diligentia & opera aucta sint facultates. MVLLER. *ad* STRVV. *S. I. C. Ex. XXIX. §. 56. p. 406. 407.* Vbi ingens doctorum idem sentientium numerus laudatur. Regula niti satis commode creditur auctoritate *l. 51. D. d. Donat. inter V. & vx. & l. 6. fin. C. eod.* Optimeque illi regulae, Romano iure, sua ratio constitit. Namque ex eo solius mariti omnia onera matrimonii fuere. Inde solus fructus dotis percepit pro istis oneribus. Commoda etiam cetera recte visa illi attribui, qui onera sustineat. Romana vxor non adsueta domesticis operis, imo nec eis adhibita. Igitur non creditum, satis honeste ipsam quicquam lucrari posse. Zelotypiae Romanorum simul consultum lege, vt, ad vitandam turpis quaestus suspicionem, omnia censerentur ex mariti opibus acquisita esse. Sed quod doctores productam regulam, tanquam conclusionem firmam ex Romani iuris principiis, adoptarunt, ac quasi ex nouo principio multo plures in Germanicis causis formarunt consequentias, hoc neminem vel leuiter in foro versatum fugit. Recte, an

fecus id factum esse, operæ pretium duco expendere.

§. X.

Destruunt in vniuersum fundamentum nostræ regulæ, nempe reliquum vsum *l. 51. D. d. Donat. int. V. & vx.* graui dicta sententia, GROENEWEG. *ad d. l. p. 180.* & ARGENTR. *ad Consuet. Brit. Art. CCCCXIIX. gl. 3. n. 17.* *Hac lex illius iuris & temporis est, quo nulla inter coniuges communio fuit coniugalis.* Prudenter ita subductæ rationes, communione bonorum coniugalium apud Germanos passim mordicus contra inuolantes Romanas leges seruata, locum non esse diuersis principiis & consectariis iuris, soli bonorum separationi prospicientis. Manifesto ex superioribus patuit, quam dispares mores Romanorum & Germanicorum coniugum semper fuerint, hodieque sint. Cum necessitas itaque, ac non tantum copia, vxoribus facta sit, suis operis, sine suspicione turpis quæstus, aliquid lucrandi ac acquirendi, cumque onera æque ac commoda matrimonii cum vxoribus communicata sint: ratio

sane

fane non est, vt vnquam coniecturis potius faueamus marito, quam vxori. *acquisita recte ac iuste vtrique coniugi cedunt.* Imo dum vxor fuerit industria, & fortassis quæstuosam mercaturam exerceat, quod Romæ non solitum, nec fere permissum: quis dubitet, iustius præsumi, quod vxor lucra fecerit, si maxime maritus inops fuerit, parumque familiæ curam gesserit? Vnde minime quisquam prudens vitio verterit, quod FR. MAR. PRATVS *Discept. For. Cap. I.* pro partibus mulieris multis argumentis perquam strenue militauerit, & præsumtionem *d. l. 51.* iamdiu egregie confutauerit.

§. XI.

Subruto *regulæ* fundamento, *conclusiones ampliores* ex ea deductæ, eæque non paucæ, satis, arbitror, in plerisque nostro in argumento sunt *confusionis & corruptelæ manifestæ.* Pone, vxorem emisse prædium, vel viuente marito, vel intra luctus annum, imo etiam, dum in administratione bonorum, fortasse qua tutrix, permanserit, satis deinceps diu.

Non dubitant post plures ANGELL. *Consil. CXLI. n. 2.* & CARPZOV. *Lib. I. resp. 85. n. 7.* omnibus istis casibus pro marito pronunciare, quod ex eius bonis, aut vsufructu ipsi debito, pretium exsolutum videatur. Ita bene Romano iure. Valeatque decisio, vbi communioni coniugalium bonorum plane in Germania, quod quidem male præsumitur, renunciatum fuerit. Secus ergo in foris Germaniæ pene vniuersæ. Ibi ex communibus bonis tale emtum prædium censebitur, & ad acquisita stante matrimonio referetur. Prout vxor, ex successionis lege, talia acquisita aut alioquin sola retinet, aut cum liberis diuidit, eadem talis prædii erit conditio. Nec vir vnquam, defuncta vxore, contra eius hæredes talis prædii possessionem ex eo idonee tuebitur, quod videatur ab vxore pretium ex maritalibus bonis solutum esse, sed potius iure communis acquisitionis longe firmius tutiusque innitetur. Secus id ac decidit præiudicio adducto, P. HEIG. *P. I. qu. 30. n. 17.*

§. XII.

Solet fieri, vt *contra maritum oberatum,*

tum, cuius vxor, forte opibus instructior, ædes stante matrimonio sibi parauit, aut alia prædia acquisiuit, *imo* pro re nata *contra ipsam vxorem, creditores experiantur ex commemorata l. 51. D. d. Donat. int. V. & vx.* eique superstructa communi doctorum opinione. Talia bona mariti esse contendunt, eius industria, fortassis etiam ex vsufructu maritali, qui marito lucro cedat, parta. Vxorem igitur, licet priuilegia dotis ipsi non denegentur, contra fortissimam pro marito pugnantem præsumtionem, non audiri, nisi singulatim probet, hæc aut illa bona ex suis opibus plane pleneque comparata esse. Tum sane multum vxoris interest, vt elidat illam præsumtionem suis commodis adeo aduersantem. Legendus ibi PRATVS *d. l.* qui præsertim ex Romano iure pro vxoris causa propugnat. Nec desunt adductæ ab ipsis doctoribus regulæ limitationes, quibus parum est, vt non magnam partem ipsius regulæ vis infringatur. MVLLER. *d. l. p. 407.* Quando supra communi Romani iuris præsumtioni pro mariti bonis, opposui contrariam ex Germanico iure pro bonis communibus; hæc, fateor, vxori marito-

ritoque multum prodeſt in materia ſucceſſionum. Sed quo minus eadem Germanici iuris præſumtio vxorem contra creditores mariti defendat, ſtatim hoc moneo, ſane multa obſtant. Nempe Romanum ius indulget aliquid maritis ratione bonorum in matrimonio partorum, quoniam Romæ non creditum vxorem aliquid honeſte lucrari poſſe. Contra plus alioquin vxorum fauori tribuunt Romanæ leges. Et ſi vel vicerit præſumtio pro mariti bonis, facile tamen vxores alia remedia repererint, quibus ſua bona contra creditores defendant. Germanico iure nec marito, nec vxori ſingulatim, ſed ipſi matrimonio & fidei publicæ conſulitur. Vnde, donec non plane conſtiterit, quod in foro quodam, aut etiam per coniugum pacta in praxi tolerata, a priſca coniugalium bonorum communione receſſum ſit, *male fecerint creditores ad præſumtiones Romani iuris valde lubricas confugientes, dum ex bonorum communione longe validius præſidium ipſis ſuppetat.* Non nego etiam tum ſupereſſe non parum difficultatis. Non id tamen aliunde, quam quoniam priuilegia vxoriorum bonorum etiam in illis

foris

foris passim frequentantur, vbi ceteroquin bonorum communionis plurimæ seruantur reliquiæ. Iura vero communionis coniugalis, & decantata priuilegia, multis modis inter se pugnare, nemo non videt. At exemplum istud iterum, quod subinde supra patuit, declarat, quam in lubricum ac instabile ius deuenerimus, posteaquam miscere diuersissima principia, modoque ex his, modo ex alteris conclusiones instruere, solenne factum.

§. XIII.

Poscit institutum nostrum, vt quoniam ad creditorum causam accessimus, curatius eorum respectu peruestigemus, *quonam iure vsusfructus maritalis in bonis vxoriis, ære mariti alieno vrgente, regatur?* Ad præmissa vtriusque tum Romani, tum Germanici, iuris principia, ita *primo generatim strictimque censeo.* Quoniam Romanum ius, necessariis ex rationibus, voluit iussitque coniugum bona inter se plane separata esse ac manere, non potuisse vnquam mariti creditores vxoria bona impetere, nec potuisse

mari-

maritalem vſumfructum, niſi cum inſigni cautione, alieno æri eſſe obnoxium. Contra quoniam Germanici iuris primum quodammodo principium fuit, vt coniugum bona eſſent communia, non potuiſſe non in regula omne æs alienum commune fieri, vt adeoque non vſusfructus modo communis, ſed omnino bona coniugum communia, alieno æri vtriusque coniugum ſubiacerent. Pro ciuitatis cuiusque ſtatu conſtitutum alterutrum ius optimas, ſatisque iam notas factas, habuiſſe rationes. Profecto enim Romæ conuenerat, vxoriis bonis curare proſpicere. Iſtud tum priuatim, quod vxores extrariarum inſtar habitæ, & diuortiorum perpetua duraret ſuſpicio. Tum publice, quod cum illis moribus infinitas lites alioquin orituras proſpiceretur. *S. I. §. 12.* In Germania rationis viſum, æque matrimoniorum tranquillitati ac ceteroquin fidei publicæ conſulere. Cum perpetua vitæ conſortione, atque onerum amica communicatione, dignum fide coniugali, vt neuter coniugum æs alienum ſubterfugeret. Et æquiſſimum viſum, vt creditores, communione bonorum freti, iu-

ſta

ſta ſua petitione nunquam exciderent. Ita vigere in commune fidem, ali coniugum concordiam, communem familiaris rei curam excitari, litesque inſigniter minui. Præſtabile ceterum fuiſſe, & nunc, & ſemper, iudico, vt Germani ſuis moribus ſuoque iuri plane, ac ſine mixtura peregrinitatis relicti eſſent. Quod quidem factum non eſſe, ceſſiſſeque rem, ſi quam aliam, & publice, & priuatim, grauibus ſatis magnisque corruptelis.

§. XIV.

Singulatim in producto argumento *ex notis principiis & leges Romanæ & doctores, plures formant concluſiones.* Quia ita dos in bonis mariti eſt, vt tamen quam maxime ſit mulieris; *l. 75. D. d. Iure dot.* igitur minime ius patitur, vt mariti creditores, obtentu ficti maritalis dominii dotis, dotalia, nedum reliqua vxoris bona vnquam inuadant. *l. 1. C. Ne vxor pro marito.* Quoniam vero fructus dotis mariti lucro prorſus cedunt, ideoque in eius bonis omnino ſunt; *l. 7. princ. D. d. Iure dot. l. 20. C. eod.* bona vero ea demum intelliguntur, quæ deducto ære alieno

alieno ſuperſunt: *l. 39. §. 1. D. d. V. S. l. 72. princ. D. d. Iure dot.* Ergo in regula maritalis vſusfructus æri alieno mariti eſt obnoxius. Quia vſufructuarius vſumfructum alii cedere, locare, oppignerareque poteſt: *l. 12. §. 2. l. 67. D. d. Vſufr.* nil iterum obſtat, quo minus maritus vſufructuarius creditoribus maritalem vſumfructum dotis cedere, aut ex eo æs alienum ſoluere iure queat. Sed marito cedunt fructus dotis non abſolute, ſed pro matrimonii oneribus. *l. 7. D. & l. 20. C. d. Iure dot.* Proinde regula maritalem vſumfructum obnoxians æri alieno, confeſtim grauiſſimis circumſcribitur exceptionibus. Itaque dum maritus opum abunde habeat, vt reliqua bona, ita etiam vſusfructus maritalis, creditoribus patent. Dum maritus pauper eſt, aut ad inopiam vergit, vt dotis fructus ægre oneribus matrimonii, præcipue vxoris alimentis, ſufficiant, deſinit tum maritalis vſusfructus æri alieno eſſe obnoxius. Quia quippe maritalis vſusfructus finis eſt, vt onera matrimonii ſuſtineantur, is finis nondum impletus repellit vtique mariti creditores. Res per inopiam mariti quodammodo venit

in

in eum ſtatum, vt quaſi ſolutum videatur matrimonium. *l. 29. C. d. Iure dot. l. 24. princ. D. Sol. matrim.* Quia igitur, vere ſoluto matrimonio, vxor in dotalibus bonis vindicandis aut repetendis omni gaudet prærogatiua: *l. 30. C. d. Iure dot. l. 11. C. Sol. matrim.* Inde ſane, dum fingitur per inopiam ſolutum eſſe matrimonium, eandem prærogatiuam vxori leges conceſſerunt. Poteſt vxor, vel ſilentibus adhuc creditoribus, agere contra maritum, vt conſignentur eius bona. Poteſt dotales res ſibi ipſi habere, ac fructibus earum ad ſuſtentationem tam ſui, quam mariti, filiorumque, ſi quos habet, abuti. Poteſt vxor, mariti res tenens, exceptione omnes mariti creditores repellere. Et ſi jam creditores mariti bona detineant, poteſt contra eos actiones ſecundum legum diſtinctionem mouere. *l. 29. C. d. Iure dot.* BRVNNEMAN. *ad d. l.* RAVCHBAR. *P. I. qu. 33. tot.* Vnde patet manifeſto, vſumfructum maritalem in pluribus caſibus eo minus æri alieno fuiſſe Romano jure obnoxium, dum omnino a marito eſſet in vxoris fauorem non difficulter reuocabilis. Quod longe magis certum

fuit, dum forte vxor marito parapher-norum vſumfructum ex pacto conceſſiſ-ſet. Quando enim legalem vſumfructum reuocari, & præterea ab vxore res mari-ti pro donatione propter nuptias teneri poſſe placuit; longe tum minime hæ-rendum fuit, vt vſusfructus, qui modo ex pacto eſſet, eueniente caſu ad vxorem rediret. *l. 29. C. d. Iure dot.*

§. XV.

Breuiores minusque impeditæ ſunt *concluſiones*, quas licuit *ex ſimplicibus Germanici iuris principiis* formare. Quia bona coniugum communia, ergo & vſus-fructus in rei veritate fuit communis. Quoniam, ex naturali quodammodo le-ge, bona non, niſi deducto alieno ære, intelliguntur; igitur bonis communi-bus æs alienum, ſiue mariti, ſiue vxoris, communis inſtar oneris incubuit. Quia vſusfructus communis communia onera matrimonii, nec in his, cum quadam præ-rogatiua, familiæ alimenta reſpexit; inde alieno æri vſusfructus primo loco fuit obnoxius. Sed dum ex vſufructu credi-toribus non licuit ſatisfacere, ad bona

ipſa,

ipſa, ita vt monſtrauimus, recurſum eſt. Quia fide nihil antiquius Germani habuere, neuter coniugum vnquam rationes circumſpicere ſolitus, quibus fidem ab alterutro creditoribus interpoſitam falleret. Vnde apud priſcos Germanos nihil frequentius, quam quod, dum maritus ad inopiam vergeret, nihilque vltra eſſet in bonis, ipſe & vxor creditoribus in ſeruitutem vltro ſe dederent. Omnino ex luſus fortuna ob fidem ſeruandam voluntaria ſæpius ſeruitus addita. TACIT. *Germ. Cap. XXIV.* Quanto iuſtius viſum, vt æs alienum lueretur, vel in ſolutum data coniugum libertate. Habet MARCVLFVS *Lib. II. c. 25. 26. 27.* formulas priſcarum cautionum, quibus adiuncta eſt *lex obnoxiationis*, ita addictio in ſeruitutem appellata. POTGIESER. *d. Statu Seru. ap. Germ. Lib. I. c. 3. §. 49. ſequ.* Nec dubium, quin *ius obſtagii*, quod hodieque in Holſatia durat, ex illis priſcis moribus ſit oriundum. Olim enim in Germania fere tota ſolenne fuit, huic iuri debitores, omnino illuſtres & principes, adſtringere. LVDEWIG. *Rel. MS. T. IV. Lib. VI. n. 20. p. 282. T. V. p. 98. 253. 595. 598.* [T. *VI. p. 489.* Quo minus inde mirum,

cum istiusmodi moribus, non legibus coniuges fuisse adstringendos, vt æs alienum, tanquam commune, siue ex communi vsufructu, siue reliquis communibus ex bonis, luerent, cum hæc omnia ipsa solennis fidei religio necessariæ honestatis faceret.

§. XVI.

Non conclusiones istas Germanici iuris, quas dedimus, Romani iuris contraria auctoritas adeo proscripsit, vt non *plurima Germaniæ fora hodieque prorsus seruent antiquum.* Est Belgica, imo potius Germanica, vetus parœmia: *Die de Mann trouwt, die trouwt oock de Schulden: Quæ marito nubit, eius alieno æri se illigat.* HERT. *Lib. I. par. 70.* Durat ius, hoc prouerbio designatum, maxime in Belgicis prouinciis. Ibi enim primo principio coniugalium bonorum communionis, noua accedit causa, quod ciuitatis intersit, commerciorum gratia, fidem publicam vsquequaque sartam tectamque conseruare. WISSENB. *ad l. 1. C. Ne vxor pro marito.* CAR. DE MEAN. *Obs. & res iudic. ad ius Leod. LVII.* Vnde

de affirmat GROENEWEG. *ad l. 29. & 30. C. d. Iure dot. harum Romanarum legum in Belgio curam nullam esse. Cessare ibi dotium vsum ac priuilegia.* Quod procedat omnino, licet dotalibus pactis bonorum communio fuerit exclusa, atque mulier dotem saluam fore stipulata sit. Oportere nominatim iisdem pactis lucri & æris alieni communioni esse renunciatum, aut saltem mulieri datam esse optionem, qua post mariti mortem bona conquisita abdicare, ac simul ære alieno maritali semet eximere queat. Tum mulieri cum his pactis, posteaquam soluto matrimonio conquisitis bonis renunciauerit, potestatem fore, dotem a marito non alienatam vindicare. Dote autem alienata, ipsi tantum tacitam hypothecam in mariti bonis deberi. Nisi præterea pactis maritus dotalia bona expresse fuerit prohibitus alienare. Tunc enim alienando vtique nihil egisse maritum, & mulieri aduersus quoscunque dotalium bonorum possessores rei vindicationem competere. Quæ omnia ita rebus iudicatis seruari, docuit etiam, præter plures Belgicos doctores, H. GROT. *Introd. Lib. I. part. 5. n. 40. Lib. II. p. 12. fin.*

Meretur non minus legi GROENEWEG. *ad t. C. Ne vxor pro marito. p. 124.* Namque ibi ostendit, leges, quibus vxor immunis a mariti contractibus aut omnino culpa pronuncietur, quippe alienas a iure coniugalis communionis, frustra iactari in Belgio. In Frisiæ Senatu aliquoties ita iudicatum esse, teste SANDEO *Lib. II. tit. 5. def. 8. litt. c.* Ne respici quidem ad istum casum, quo maritus luxuriose bona dissipauerit. Cuius instituti idonea adiecta ratio, *ne si rigida in mariti mores inquisitio permitteretur, in infinitam multitudinem lites excrescerent, & bonor matrimonii crebris altercationibus conspurcaretur.*

§. XVII.

Lubecensi iure certum est, *maritalem*, imo potius communem, *vsumfructum aeri alieno mariti prorsus esse obnoxium.* Nec videas ibi facile locum habere Romanarum legum ambages, quibus certis in casibus mariti vsusfructus plane perimitur. Omnino enim isto iure *vxoris bona non, nisi dum matrimonium prole careat*, quo casu Romanæ leges valent, *pri-*

priuilegiis dotium gaudent. Visum plenam bonorum conjugalium communionem ab eo tempore incipere, quo liberi ex matrimonio nati fuerint. Quæ singularis obseruatio magis firmat anomaliam Lubecensis bonorum communionis, quam supra commemorauimus *S. I. §. 49.* Dum proles adest, & maritus vrgente alieno ære fugam capessit, citra respectum bonorum, siue ea mariti, siue vxoris sint, creditoribus satisfit. *Lub. Ius. P. I. tit. 5. art. 7.* Porro dum maritus obæratus fatis fungitur, viduæ cum liberis omnimoda cessio bonorum communium, nullis exceptis, iniungitur. Si enim per sex menses vidua cessione bonorum non vsa fuerit, ipsa debitricis instar habetur. *Ibid. P. III. t. 1. art. 10.* Ad quem textum disquirentes doctores producit Mev. *n. 74. sequ. An mulier, cessione facta tum suorum, tum mariti, bonorum, liberetur in posterum, dum forte aliunde nouas opes acquisierit, ab actionibus creditorum?* Affirmat id Mevivs, & ad præiudicia prouocat. Nectit conclusiones ex Romano iure. *Solutam videri communionem bonorum per factam cessionem. Statuto diserte nihil caueri, ideoque recessum a iure communi non*

præsumi posse, præsertim in materia adeo exorbitanti. Sententiam vero hanc esse nimiæ Romani iuris consectationi acceptam referendam, nemo non videt. Quin potius analogiam patrii iuris sequimur, dum statutum clare non loquitur. Probandum fuerat, Romanum ius in hoc argumento receptum esse, antea quam pugnetur contra præsumtionem, quasi sit recessum ac Romano iure. Inde facio cum pluribus doctoribus ab ipso MEVIO laudatis, qui ex analogia nostri iuris negant productam quæstionem, nec adeo vxorem in futuros casus ob cessionem liberarit. Nempe semel initam coniugalium bonorum communionem non morte alterutrius coniugis plene exspirare, plus quam manifestum est. Vnde faciles manant quæstionis decisiones.

§. XIIX.

Videamur prope versari extra oleas, quod ipsa vxoris bona, patrio iure, in multis foris mordicus custodito, æri alieno mariti obnoxia commonstramus. Sed longe fortissimum inde oritur argumentum, non patriis institutis conuenire cum

Roma-

Romanis legibus, quæ omnino maritalem vſumfructum pluribus in caſibus omni ære alieno eximunt.*. Namque *ſi ne vxorum quidem bona ab alieno ære mariti ſunt immunia*, *quanto minus* vllo in caſu prohibebitur *vſusfructus maritalis*, *quippe communis*, a ſolutione debitorum mariti, quæ vere per reliquam bonorum communionem ſunt facta communia. Nec diſtinguere videtur Germanicum ius, an æs alienum a marito ante matrimonium, aut illo ſtante, contractum ſit? Sane repugnat diſtinctioni parœmia iuris veteris, quæ paulo ante *S. h. §. 16.* prolata eſt. Ignorat diſtinctionem Belgicum ius, imo etiam Lubecenſe. Cautius mercetur fœmina nuptura, aut ſaltem, quod permitti moribus conſtat, pactis ſibi, dum alienum æs metuit, proſpiciat. Alioquin, quod ſenſerit noſtro iure, damnum incuriæ ſuæ imputet. Quo magis miror, commemoratam diſtinctionem æris alieni haberi in *Hamburgenſi ſtatuto*, quod alioquin Germanico iuri adhuc impenſius in hoc argumento, quam Lubecenſe ius, congruum eſt. Profert iſtud MEV. *ad Ius Lubec. P. III. tit. a. 10. n. 81. 82.* Statuto hoc omnia vxoriorum bonorum

priuilegia proscribuntur, nominatim repudiato Romano iure. Non distincta conditione vxoris, an liberos cum marito genuerit, nec ne, an æs alienum durante matrimonio vrgeat, vtrum eo soluto, *vxor plane condemnatur ad alieni æris maritalis, quippe communis facti, communem solutionem.* Rationes adiectas hujus statuti vernacula lingua dabo: *Zur Handhabung gemeines Nutzens, Trauens und Glaubens, und zur Beförderung der Handthierung, auch weil es hiebevon in dieser Stadt üblich also gehalten worden &c.* Momenta profecto grauia, maximeque idonea. Quæ quam male doctores habeat, limpidum Germanicum ius per ea in perpetuo vsu seruatum esse, merito tamen effecerunt, vt, præterquam, quod debita tantum constante matrimonio contracta communibus bonis oneri sunt imposita, cetera ne latum quidem vnguem a primæuis optimisque institutis abscederetur.

§. XIX.

Inepta quæstio est, *an valeant statuta, quod vxor teneatur pro marito?* BRVNNEMAN. *ad l. 1. C. Ne vxor pro mar.* eam mouet.

mouet. Praxi eam affirmari, & ita etiam quosdam doctores censere, respondet. Ipse suspendere videtur iudicium. Aut vellem non mota esset quaestio, aut cum ludibrio reiecti essent doctores, qui vel de ea ambigerent. Pono quidem condendi statuti, aut ciuilis iuris, libertatem. Quid est praeterea, quod prohibeat vel nouius aliquod ciuile ius, a genuini Germanici iuris aut continuanda, aut reducenda obseruantia? Sed hoc est, quod vulgo horrent doctores, quoties cernunt Romani iuris auctoritati locum non fieri. Ergo se immensum torquent, vt istam auctoritatem tueantur, & saltem statutis patrioque iuri aliquid Romani vestitus induant. De quo satis arbitror in superioribus dictum esse. Inde sane istud euenit, vt dum plura fora vidimus, quae ratione maritalis vsusfructus & vxoriorum bonorum ex proprii nostri iuris conclusionibus, locum alieno aeri minime praecludunt; non tamen supersint pauciora *fora, quae mixtis ex consectariis vxoribus fere plus aequo fauent, vt noceant creditoribus*, & non leuiter quandoque necopinato publicam fidem pessundent.

§. XX.

§. XX.

Fallor quam valde, annon *Saxonica* noſtra *fora* magnam partem recte ad poſteriorem claſſem accenſeam. Diſtinguam quidem tres diuerſas periodos. Antiquius vtique Saxonicum ius coniugalium bonorum plenam communionem, quod nemo negat, ſanxerat. *S. I. §. 41.* Ex huius iuris principiis non potuiſſent alia conſectaria deriuari, niſi quæ *S. b. §. 15.* in medium protulimus. At effecerunt iura & priuilegia dotium, quæ contra indolem Saxonici iuris, facientibus doctoribus, inuecta ſunt, vt in multis breui receſſum ſit a genuinis bonorum communionis effectibus, & tum lege, tum opinionibus, vulgo acceſſum ad Romanæ iurisprudentiæ deciſiones, *S. b. §. 14.* laudatas. In hac ſecunda vſus fori periodo perſtitimus, ad vsque proximam iuris noſtri reformationem ſapienter factam. *S. b. §. 27.* Nemo neſcit, paucos communionis bonorum inter coniuges effectus vulgo tum conſtitiſſe, niſi dum concors, nulloque alieno ære oppreſſum, matrimonium durauit. Emergente alieno ære, motoque præſertim creditorum concurſu, omnem com-

communionem prope euanidam factam esse. Siquidem, expressa Electorali lege, illata vxoris bona liberata non tantum ab omni posteriori aere mariti alieno, verum etiam praelationis iure donata, non tamen ante omnes, sed eos tantum creditores, quibus non antiquior expressa hypotheca constituta fuerit. *P. I. Const. 28.* Vbi cum disputatum esset, an hac lege vxorum bona omnia comprehenderentur, diserte sancita vxoriorum bonorum differentia, ius praelationis ad dotalia, aut potius ad primitus in matrimonium illata, bona restrictum est. *O. P. S. Tit. XLIII. §. 1.* Nec deinceps sopitas doctorum contentiones, videsis apud SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 80. sequ.* Interea tum ex constituto iure id publice certum fuit, *frustra fere creditores mariti sperasse, vt, vi communionis coniugalis, ex vxoris bonis sibi satisfieret.* Namque omnino vxor, quae sciens obaerato marito nupserit, non omnino priuilegiis indigna habita. *Dec. N. VI.* Verum non puto, nisi priuata auctoritate, atque ex solis fere Romani iuris consequentiis, adplicata deinceps esse ad vxorem in vniuersum

omnia

omnia Romanarum legum beneficia & remedia, dum modo maritus, licet nondum moto concursu creditorum, vergere cœperit ad inopiam. Quam quidem etiam id Saxonici fori vsu fieri consueuerit, latet neminem. Et loco omnium legi meretur RAVCHBAR. *P. I. qu. 33.* Longe minus existimo valde conuenisse, vt vxori indulgeretur, quæ vsumfructum maritalem stante matrimonio reuocaret, atque in creditorum fraudem eo abuteretur.

§. XXI.

Ita tamen, posterioris causæ respectu, *subductas* video *a Saxonicis doctoribus rationes.* Quia Saxonico iure maritus est vsufructuarius omnium vxoriorum bonorum, nisi quæ bona sibi nominatim vxor reseruauerit; igitur nihil prohibere, quo minus placita Romani iuris de vsufructu dotis, marito ad inopiam vergente, ab vxore reuocabili, ad Saxonicum vsumfructum adplicentur. Primo enim nulla lege Saxonica ius ciuile hac in parte sublatum aut immutatum esse, vt in dubio leges, quæ huc pertinent,

pro

pro abrogatis aut non receptis haberi nequeant. Deinde rationes illarum legum apud nos non cessare, ex quibus præcipua sit, vt vxoribus plenissime prospiciatur. Itaque fictionem quasi soluti matrimonii etiam apud nos locum habere, & vxoribus non minus licere casu eueniente rebus suis ad sui, & mariti æque ac familiæ, sustentationem abuti. Quod certum præcipue sit intuitu dotalium bonorum. Quorum omnino vsuras, loco alimentorum, vna cum sorte ex concursu vxori addixerit *O. P. S. Tit. L.* §. *j.* Nec dubium de paraphernis superesse. Siquidem in iis adesse rationem maiorem, vt vxoriis commodis prospiciatur, dum ciuili iure citra pactum ne maritus quidem in istis obtinuerit vsumfructum. Vt dicere conueniat, Saxonico etiam iure istum vsumfructum paraphernorum non tam absolute, quam ex hypothesi, scilicet vxore non contradicente, stabilitum esse. In hunc modum lites motas frequentius Saxonica collegia decidisse. Minimeque inde dubitari, quin quod benigna iuris æstimatio in theoria suppeditet, ipso vsu fori etiam obtineat.

§. XXII.

§. XXII.

En *casus*, nostri argumenti illustrationi adprime inseruiens. Nupsit mulier, quæ ex diuisione cum liberis prioris matrimonii aliquot prædia, leuioris quidem pretii, acceperat, viro, non tam obærato, quam pauperi atque inopi. In area vxoris stante matrimonio ædes deinceps ædificatæ sunt. Sed maritus ob leue debitum a creditoribus flagitatus, variis tergiuersationibus ac suffugiis effecit, vt demum non modo in sortem, sed etiam in vsuras moræ, atque omnes litis expensas, condemnaretur. Exsecutio a iudice petita & impetrata in fructus in horreo repositos, in fructus binorum hortorum, atque denique in ipsas ædes. Tum interuenit vxor, grauissimam sibi factam iniuriam incusans. Ædes ære suo exædificatas causata, non magis posse in illis exsecutionem fieri, quam in fructibus, quibus ademtis sibi congrua alimenta subtracta sint. Igitur lis in superiori iudicio ab vxore tum inferiori iudici intentata, quod exsecutionem peregerit, tum creditori, quod eam isto pa-

cto rogauerit. Iudex visus tutus mandato superioris, vt fieret promta exsecutio. Etiam creditor non incommode contendere, exsecutionem ob mariti aes alienum in eius vsumfructum iustis sane rationibus factam esse. Ratione aedium omnem militare praesumtionem pro marito, quod eius ex bonis sint aedificatae, quantumuis in area, quae vxoris propria fuerit. Contra vxor, probato hortorum ac areae dominio, relatum sibi iuramentum praestitit, quod maritus inops ad eam peruenerit, ipsius bona coeperit consumere, ceterum aedes ex solis ipsius in matrimonium illatis opibus sint exstructae. Praeterea semiplene atque vltra visa vxor probasse, quod fructibus, licet modo ex parte, ademtis tantum non superfuerit, vt inde matrimonii onera sustineri potuerint. Id eo amplius, dum maritus, ex sontico perpetuoque morbo plerumque decumbens, ad omnes domesticas curas atque operas prope sit inhabilis. Cum quo statu actionis parum obstare videri poterat, quin, dum vxorium dominium aedium euictum esset aliunde, vsusfructus etiam maritalis aere mariti alieno exemtus esse iuste pronunciaretur.

ciaretur. Si maxime vxor iuraret in supplementum de alimentis subtractis, nihil vltra dubitarem contra exsecutionem statuere, ac creditorem eo remittere, vt meliorem fortunam mariti, aut iustius obiectum exsecutionis exspectaret.

§. XXIII.

Ita quidem mea stat sententia non absolute, sed præmissa ex conditione. Priuilegia scilicet dotium, reliquorumque vxoriorum bonorum, in Saxonicum ius hactenus recepimus. Vtriusque caussæ patronus ex solis fere Romanis legibus ac doctrinis in actione commemorata pugnauit. Et potuit hac in causa satis probabiliter, dum ægre doctores nostri dubitent, iisdem in dubio vtique standum esse. Compromittentibus quodammodo partibus in decisionem Romani iuris, ab ea difficulter aberrare poterit iudicii sententia. Namque *plus* omnes credunt *constare de admissis in Saxonico foro, hic certe, quam de reprobatis Romanis sanctionibus.* Quicquid rei est, instructa commemorata lis primum est ex mixtis iurium principiis, & demum in progressu ad solius Romani iuris

ris obseruantiam accessum est. Quod creditor in omnes fructus immissionem petiit, & ex parte impetrauit, probe actum ex patrio iure, sed iniquius ex Romano. Posteriori enim iure creditor opus habuisset, deficientibus aliis mariti bonis, dotem a paraphernis secernere. Non nisi dotis in fructus immitti potuisset. In nostro autem casu difficilius futurum fuisset, dotem indicare, cum nulla singulatim dos constituta esset, maiorque præsumtio militare crederetur pro paraphernis. Quas difficultates ex Saxonico iure vitare licuit. Quod in rei veritate ignorat vxoriorum bonorum differentiam, omniumque vsumfructum marito aut potius communioni addicit. Quodsi creditor firmius inhæsisset communi omnium bonorum vsuifructui, & se fundasset in solo Saxonico iure; non video, qui iudex dubitare debuisset, quin creditori omnium hortorum ac prædiorum fructus adiudicaret. At ædes potius impetitæ ex Romani iuris regula, secundum quam ex mariti opibus bona comparata esse credita. Hac declinatione ad Romanum ius facta, tradita quodammodo arma vxori, quibus postula-

 tionem

tionem omnem elideret. *S. h. §. 12.* Quanto itaque tutius ius communis vſusfructus ſibi fauorabile creditor vrſiſſet. Imo obſtitiſſet nihil, vt ſecundum Saxonicum ius omnia coniugum bona communia videri contendiſſet. Habiturus erat creditor plures doctores, qui præſumtionem pro patrii iuris auctoritate defendiſſent. *S. I. §. 43.* Quantumuis enim dotium priuilegia vſu recepta communioni bonorum aduerſarentur, licuiſſet ea reſtringere ad caſum concurſus creditorum moti. Corrigentis Romani iuris non iniqua videri potuiſſet reſtrictio. Diuerſæ viæ inſtitiſſe creditorem, idem, quod modo monui, fuit, ac in cauſa victoriam plenis manibus aduerſæ parti præbuiſſe.

§. XXIV.

Adeo ceterum *non metuenda concluſiones*, *S. h. §. 21.* productæ, quibus auctoritas Romanarum legum de maritali vſufructu, eueniente caſu admodum reſtricto, imo & reuocabili, in noſtro forô ſtabilitur; *vt non facili negotio ea elidi queant.* Sane idoneum argumentum

non

non nisi cum cautione vnquam ducitur a Romano iure maritalis vsusfructus, & fere plane non ad inuehenda quæuis eius præcepta in Saxonicum, aut Germanicum potius, generaliorem vsumfructum. *Vtriusque* nimirum *vsusfructus plane diuersa sunt principia*, vnde plena via manant diuersi effectus iurium. Saxonicus vsusfructus eo minus ob mariti æs alienum, vltra Electoralis legis mentem, reuocabilis est, quoniam omnino ipsa bona vxoria veriori Saxonico iure æri alieno mariti patent. Ne illud quidem admiserim, qualis fuerit Romana lege mariti vsusfructus in dote, talem etiam esse Saxonico iure mariti vsumfructum in omnibus vxoriis bonis. Nam suppetunt insignis differentiæ vtriusque vsusfructus notæ satis manifestæ. Sed fac eas mittamus, profecto nondum licebit vltra argumentari, nisi dum constiterit, pares vtrinque militare rationes. Verum perpende rationem Romanæ legis de mariti vsufructu constante matrimonio reuocabili. Ea est ratio, vt bona coniugum curate distincta maneant, vt, facile imminente post inopiam mariti diuortio, litibus præuertatur occasio.

Cessat hæc, & si quæ alia consimilis ratio detur, in Germanico iure nostro. Nullum metuitur ex inopia mariti diuortium. Separationi coniugalium bonorum plus repugnant, quam fauent, mores nostri. Romano iure sibi creditores imputauerint damnum, dum vxor, quod lege poterat, vsumfructum dotis vindicauerit. Nostro iure fidunt creditores communi vsuifructui. Qui dum adeo facile ab vxore queat subtrahi, viderint alii, annon vix excusabilis creditoribus fiat iniuria.

§. XXV.

Quod dicitur, nulla Saxonica lege ius ciuile, in causa maritalis vsusfructus ab vxore reuocabilis, sublatum aut immutatum esse, id profecto frustra est. Indeque non nisi ***inficete argumentamur, quasi nequeant in dubio leges Romanæ***, quæ huc pertinent, ***pro non receptis aut abrogatis haberi.*** Disce quæso ex ***l. 9. D. d. I. & l.*** in ***Proœm.*** §. ***4.*** laudata, an vel ipsi Romani suum ius, qua ciuile, nobis voluerint obtrudere? Incommode quæstio habetur de sublato aut immutato Romano

no iure, anteaquam manifesta eius receptio, & quidem publica auctoritate facta, in certa causa pateat. *S. I. §. 50.* Non opus habet, vt repudians Romanæ legis auctoritatem probet, eam abrogatam aut non receptam esse. Sed quam maxime oportet, ille, qui se in peregrina lege, patrio nostro longe antiquiori ciuili iuri contraria, fundauerit, probet, eam contra indolem nostri iuris noua lege receptam esse. Corruptela hæc est insignis, quod vulgo ponitur, quasi nostrum ius patrium correxerit Romanas leges. Quin versa vice, ita vt nunquam satis vrgetur istud, fateamur necesse est, quandoque per Romanas leges ius antiquius nostrum correctum esse. Id minime vero præsumendum, sed probandum potius esse, dudum cordatiores doctores ostenderunt. Ita constabit subsidiario Romani iuris vsui sua iustitia, dum, nisi alioquin plene Romanam quandam legem adprobatam norimus, ad illum vsum non confugiatur, donec prorsus sileant patriæ nostræ leges, nec rationes suppeditent Romani iuris adplicationi aduersantes.

§. XXVI.

Rationes Romanarum legum, quibus vxoribus repetendi vsumfructum dotis copia facta est, cessare apud nos, iam supra declaratum est. Præcipuam rationem dicis esse, vt vxoribus plene prospiciatur. Fuit haec idonea ratio Romano iure, sed nondum præcipua. Fac esse præcipuam, æque tum dixerim, patrio nostro iure istam rationem propemodum exulare. Matrimonio ipsi, eiusque tranquillitati, æque ac publicæ fidei, nostrum ius Germanicum prospicit, non singulatim priuatis vxorum commodis. Fictionem ergo quasi soluti matrimonii reliquisse Romanis conuenerit, cum eam prorsus nostra instituta dedignentur. Dotis vsuras Saxonico Electorali iure debitoris vxori singulatim adscribi, pertinet id ad ius concursus creditorum definiendum. Plerumque ibi aut debitor maritus in fuga salutem quæsiit, aut omnino fatis functus est; aut efficiunt creditores, vt cessa bona in distributionem veniant. Quando ibi, præter vnico in casu, matrimonium non soluitur, bona tamen

mariti dissipantur. Vbi ius, quod, præter indolem primæui Saxonici iuris, vxoribus indulgetur, adstringendum potius, tanquam corrigens ius, ad casus indicatos, quam prorogandum. Nec valet adeo consequentia ab vsuris dotis certis in casibus concessis, ad potestatem vxoris vsumfructum bonorum a marito vindicandi. Imo quia communem vsumfructum esse ostendimus, ne videntur quidem priuilegia dotium vsu recepta eo commode protendi, vt pars alteram inuitam partem ex communione proturbet. Quod iterum locum habet in paraphernis. Nam in his etiam communis vsusfructus est iure Saxonico. Quæ latius exsequi, nostri non est instituti.

§. XXVII.

Quin puto, magnam partem harum disceptationum de Saxonici fori obseruantia, siue Romani, siue Saxonici veteris, iuris indoli magis fauorabili, iam prope quieturam, dum saltem in nostra causa ex prouidentissima legislatoris cura, *nouam quodammodo periodum iuris* nuper admodum ingressi sumus. *S. b.* §. *20.* Et

 accepi

accepi a iurium horum consultissimo viro, iam antea supremum, quod Dresdæ floret, appellationum tribunal in iudicando non tam ad doctorum in argumento nostro communes opiniones, quam ad genuini Saxonici iuris analogiam, respicere consueuisse. Igitur pro re nata inclytum hoc iudicium minime dubitasse maritalem vsumfructum, abdicatis vulgaribus exceptionibus, solutioni æris alieni plane addicere. Quo ipso iusta priuilegiorum vxoriis bonis concessorum restrictio vehementer & olim placuit. In posterum prorsus omnia illa priuilegia facessere iubet reformata, aut, si mauis, declarata, *O. P. S. Tit. XLIII. §. 3. T. XLV. §. 4. Sublata* est illa toties ventilata *tacita hypotheca dotis, cum omni prælationis iure, imo cum vxoriorum bonorum priuilegiis omnibus.* Nisi expressa hypotheca in mariti bonis constituta, non audietur porro vxor, bona sua, nedum eorum vsumfructum, ære alieno mariti exemtura. Quod *firmandæ* * *publicæ fidei ergo* ita sapienter sancitum esse, Serenissimus noster legislator signate declarauit. Debitoris etiam fraudulenti vxor, si luxuriosis suis moribus ansam

præ-

præbuiſſe alieno æri cònuincatur, omnibus iuris beneficiis priuata, & ex ſuis bonis æs alienum ſoluere damnata eſto. *Mandat wider die Banqueroutiers. §. XV. fin.* Immenſum fallor, niſi *cum hoc nouo iure*, in quo certa ratione tertiam quandam Saxonici iuris in cauſa noſtra periodum ſupra conſtitui, ſublatis plurimis litium occaſionibus, *ad Saxonici priſci iuris communionem coniugalium bonorum ſatis prope iterum acceſſum eſt.* Scilicet obſtitere potiſſimum iſti communioni vxoriorum bonorum vſu recepta priuilegia. Quibus ſublatis & abrogatis, quin pleræque Romani iuris deciſiones, *S. h. §. 14.* in medium prolatæ, ſponte ſua corruant, dubium eſt quam minime. Si enim obiicis, cum expreſſa oppigneratione maritalium bonorum, adhuc nunc vxoribus iura ſua ſalua fore; parum id rei eſſe, audacter reſpondebo. Ita ſane praxis tenet, licere pactis arcere communionem coniugalium bonorum, communemue vſumfructum. Licet *S. h. §. 5.* valde dubitauerim, an talia pacta primæuis noſtris inſtitutis tolerata fuerint? Expreſſa oppigneratio erit pacti inſtar lege probati. Quo pacto non

inito,

inito, obstat modo ex Saxonica noua lege nihil, quo minus plane rursus valeant conclusiones Germanici iuris, quarum epitomen supra *S. b. §. 15.* dedimus. Nec arbitror, nouam nostram legem, quia correxerit anteriores leges, ex solenni doctorum pronunciato nunc strictioris fore interpretationis. Imo potius ampliare licebit ex ipsa legislatoris mente interpretationem. Nam non tam plane noua lex scripta, quam abscessio a primæuo Saxonico iure iterum, publicæ fidei stabiliendæ, at quanti momenti! gratia, prudenter sublata est. Proindeque non dubito adserere, *quod si mulier in posterum de expressa hypotheca sibi non prospexerit, ne posse quidem eam, ingruente alieno ære, sua bona, quæ supersunt, adeoque nec eorum vsumfructum, vindicare.* Videtur quippe talis vxor tacite adprobasse plenam bonorum coniugalium communionem. Vnde istius communionis effectus quoscunque frustra deinceps a se amolietur. Porro vxori luxuriose viuenti parum proderit, si vel expressam hypothecam impetrauerit. Licet enim silente lege, oportet pœnæ sancitæ effectum adesse. Qui effectus cessatu-

ſaturus erat, ſi vxor luxurioſa modo in pari iure foret cum vxore, quæ alioquin ſibi, in bona fide viri confidens, proſpicere neglexerit.

§. XXVIII.

Quæ vt amplius nihil moror, erat facile, poſt Saxonici fori obſeruantias paulo copioſius commonſtratas, de aliis Germaniæ foris plura commemorare. Quædam eorum non plene, ſed cum aliquo temperamento, Romana dotium priuilegia iamdudum vſu receperunt. Ita video, in *Wurtenbergico foro* vxoris tacitam hypothecam non tantum poſtpoſitam eſſe antiquiori expreſſæ, ſed omnino tacitæ vetuſtiori hypothecæ. *Ius Prouinc. Würtenb. P. I. tit.* 75. LAVTERBACH. *Coll. Theor. Pract. ad tit. D. Sol. matrim.* §. *XV.* Ipſa auguſta Imperii Camera dudum deflexit a priori iudicandi more, atque, ſecus ac Romanum ius ſtatuit, amica cum Saxonica priori Electorali lege conſpiratione, expreſſas creditorum antiquiores hypothecas omnino hodie vxorum iuribus præfert. GAIL. *Lib. II. c.* 25. *n.* 10. LAVTERBACH. *d. l.* Quales mixta hæc prin-

principia variantes porro conclusiones ratione vsusfructus vxoriorum bonorum, siue a creditoribus, siue ab ipsa vxore impetiti, admittant, quilibet commode perspexerit. Dubito sane, an Wurtenbergico iure vxori potestas vlla sit, vsumfructum sibi vindicandi, dum praesertim instent creditores, quibus antiquiori vel expressa, vel tacita, hypotheca prospectum sit. Sed haec quoque hactenus. Et postulat instituti nostri ratio, vt demum his missis paucula reliqua argumenta percurramus.

§. XXIX.

Vsusfructus maritalis Romano iure onus non fuit, vt pro vxoris obligatione maritus conueniri potuerit, nisi ipse pro ea se obnoxium fecerit. *l. 3. C. Ne vxor pro mar.* Scilicet bona coniugum adprime separata seruare placuerat. Et dum vxori, ratione ipsius vsusfructus dotis, multum indulgeretur, ita vt superiori loco patuit, contra mariti creditores, imo eueniente casu contra maritum ipsum: *S. h. §. 14.* rationis sane non erat, vt plus oneraretur maritus per vxorem, dum alio-

alioquin vsumfructum non nisi valde onerosо titulo tulerit. Vxoris ergo fuerat, vt suum æs alienum sola solueret, ne præsertim breui diuertente vxore, cum insigni mariti damno, ipsa locupletior fieret. Maritus autem idonee fideiubere potuit pro vxore. Quo casu tum ex vsufructu luere alienum æs coactus, tum ex bonis propriis, cum quippe vxoris bona non suppetierint. Contra *intercessio vxoris pro mariti ære alieno Romano iure frustra prorsus fuit.* Id enim ibi datum imbecillitati vxorum, vt tum edictis Imperatorum, tum maxime Velleiano Senatusconsulto, contra maritorum fraudes tutæ forent. *l. 2. princ. & §. 1. 2. D. Ad. SC. Velleian. Auth. Si qua mulier. C. eod.* Proinde licet vxor pro marito fideiusserit, eius vsusfructus dotis non magis alieno æri erit obnoxius, quam ceteroquin per legum beneficia vxoribus indulta futurus erat. Plane si vxor marito pecuniam propriam credidisset, quin ipse soluisset hoc debitum ex vsufructus prouentibus, nihil prohibuit. Ita vero, vt ante omnia curandum fuerit, ne, fructibus in solutionem æris alie-

ni

ni imputatis; deferentur a marito magis necessaria matrimonii onera.

§. XXX.

Faciunt locum etiam istis Romani iuris conclusionibus doctores, & cum iis Germaniæ fora, quæ aut plane Romano iure viuunt, aut saltem mixtis principiis delectantur. Quod vel ex consequentiis supra dictorum facile patere potuit. Sed paucioribus exceptis, *Germanicum ius* nostrum, coniugalium bonorum communione nitens, æque ac ratione maritalis æris alieni deprehendimus, iterum *in contrarias omnino conclusiones definit.* Fiunt vxoris bona communia. At intelligi hæc bona nequeunt, nisi deducto ære alieno. Si vel adeo vxor, anteaquam nupserit, æs alienum contraxerit, conuenitur maritus, vt siue ex communi vsufructu, siue ex reliquis communibus bonis, nomina vxoria diluat. Quod locum habet, licet vxor prioris mariti debitis adhuc sit illigata. CAR. DE MEAN. *Obs. & Rer. indicat. ad Ius Leod. LVII. Le Mary est tenu aux debtes, de sa femme, & * de son precedent mary,*

mary, d'ou vient le commun prouerbe: Qui espouze femme, espouze ses debtes. HERT. *Parœm. Iur. Germ. Lib. I. par. 70.* Fideiussione igitur singulari mariti pro vxore opus non est, cum etiam citra eam mariti vsusfructus & bona creditoribus vxoris obligentur. Et tutela maritalis, quæ passim ex prisco iure seruatur, nihil, saltem parum, mutat in mariti obligatione, sed prohibet modo vxorem, ne constante matrimonio inscio atque inuito marito nomina vltra contrahat. Verum & istud limitatur, dum vxor ipsa vel sola, vel cum marito, mercaturam exerceat. GROENEWEGEN. *ad l. C. Ne vxor pro marito p. 125.*

§. XXXI.

Fideiussio vxoris pro extrariis personis, ex mixtis licet principiis, *raro in nostris foris obligationem producit.* Maritus tunc in regula neque tenetur ex vsufructu, neque vxor maritusue ex bonis communibus. Ex Romano quippe iure passim SCtum Velleianum vsu recepimus. Quo vix tamen nobis opus videbatur esse, cum vel Germanica vxorum tutela prohibe-

ret eas, quo minus fideiuberent pro aliis, vel etiam expeditum videretur nostris moribus, ne alter in bonis communibus in extrariorum fauorem alteri ignoranti onus imponeret. Sane, si vxori fideiubenti maritus consenserit, nihil vltra nostris moribus obstat, quin valide vxor gesserit negotium. Nam Romanae legis scrupulositas, quod intercessio sit instar officii, & ciuilia officia sint foeminis ademta, *l. 1. §. 1. D. Ad. SC. Vellei.* oppido parum nostris moribus habet ponderis. Vnde, omnino ignorante marito, vxor mercaturam exercens recte pro aliis intercedere, nihilque Velleiano SCto iuuari, plerisque in foris iudicatur. GROENEW. *ad t. C. ad SC. Vellei. p. 137.* Vt statim adeoque nouum, ac Romano iuri contrarium, ius resurgat, dum Germanica vxor, quod Romae inusitatum ac inuisum fuerat, negotiari consueuerit. Et ita haberi Belgico, Bauarico, Prussico, Lubecensi, Norico, & quot aliis Germaniae iuribus, tradunt SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXIIX. §. 6. &* MVLLER. *ad* STRVV. *Ex. XXI. §. 12. p. 1374. 75.* In Gallia, quae multum Germanici prisci moris retinuit, edicto regio dudum Velleiani SC. auctoritas prorsus abrogata est. Quip-

pe

pe ſcrupuloſiori lege plane non creditum opus eſſe. MORNAC. & AVTVMN. *D. & C. ad SC. Vellei.* Quantum ad *vxoris intercesſionem pro marito* attinet, conueniebat vtique probe ſecernere principia, ſecundum quæ fuerit iudicandum. Profecto quæ regiones communionem coniugalium bonorum retinent, ex diuerſis quidem rationibus vxorum interceſſiones pro aliis forte reprobant. Sed plurima obſtant, quo minus ibi *Authentica, ſi qua mulier*, & inde oriundæ concluſiones, ratione maritalis vſusfructus valeant. Probe GROENEWEG. *ad d. Auth. p. 138.* monet: *Non obſeruatur, quia hodie vel ea mulier, quæ non intercesſit, tenetur ex contractu mariti: niſi ſi pactis antenuptialibus maritalis poteſtas ſit nominatim reſtricta, adeoque ad ius ciuile Romanorum reditum.* Eleganter etiam *Prusſicum Ius Lib. I. t. 24. art. 13. §. 5.* ſecernit ſecernenda: *Quod ſi mulier vna cum marito ſuo ſe & bona ſua obligauerit, ea obligatio, quod ad ipſam attinet, nullius momenti erit: niſi actor vel creditor manifeſte probet, eam pecuniam, vel res, quarum nomine obligatio contracta eſt, in vtilitatem ipſius mulieris verſam eſſe, aut*

consensum duorum proximorum agnatorum, in vicem curatorum ad litem, mulieris obligationi accessisse. * *Veruntamen hoc in ciuitatibus, in quibus iure Culmensi inter virum & mulierem* * *bona omnia sunt communia, locum non obtinebit: nam ibi more hactenus recepto etiam mulieres ad debiti huius solutionem obstrictas manere volumus.* Ad dicta *S. b. §. 29. fin.* nihil addo. Casus enim, quo maritus vxoris fiat debitor, & quaestio oriatur, qua ratione tum ex vsufructu tale alienum æs recte soluatur, vix exstiterit, si quando in communione bonorum, adeoque in communi vsufructu coniuges egerint.

§. XXXII.

Quia *Romano iure* ob perpetuam diuortiorum suspicionem, dotium securitati adprime consulere conuenerat, *maritale dominium*, quod leges finxere, re vera & omnimodo *in merum vsusfructus ius desiit. S. I. §. 17. sequ.* Indeque præcipue id fuit, quod *maritus* lege Iulia *prohiberetur, Italicum dotalem fundum vel inuita vxore alienare, vel consentiente obligare.* Siquidem eo, vt maritis alienandi,

nandi, saltem oppignerandi, vxoria bona potestas esset, extendere voluisse fictum mariti dominium, contra vsusfructus leges & conditiones id futurum fuisset. Postea IVSTINIANVS *alienandi dotales fundos potestatem amplius restrinxit.* Ne quidem consentiente vxore talis alienatio, vel omnino in prouinciis, vltra maritis relicta. *l. 1. C. d. Fundo dot. l. vn. §. 15. C. d. Rei vx. act. & princ. I. Quib. alien. licet.* Namque postea quam IVSTINIANVS vsucapionis ius etiam ad praedia prouincialia protulit, non potuit ampliare Iuliam legem, quam alioquin ratione vxorii consensus corrigere placuit. HEINECC. *Ant. R. Lib. II. tit. 8. §. 9.* Verum restricta licet mariti potestate in dotalibus fundis alienandis, vbi quidem vxori non magis, quam proprietario, rem vsufructuariam in vsufructuarii fraudem alienare permissum erat: secus tamen se vxoris ius habuisse in paraphernis, supra ostensum est. *S. I. §. 23.* Et alienare, & oppignerare vxori paraphernа licuit, ita vt mariti consensu nihil opus fuerit. Quod ex eo fuit, quia marito nullum ius in paraphernis, nisi ex pacto vxoris, leges attribuerant. Ve-

rum *istis indubitatis Romani iuris conclusionibus, an omnino & qui conueniat in nostris foris vti?* Non immerito singulatim exploratur.

§. XXXIII.

Seruari in *Saxonico foro* laudatas IVSTINIANI sanctiones, tradunt MATH. WESENBEC. *Paratit. D. d. Fundo dot. Num. VII.* SCHNEIDEW. *princ. N. IV. Quib. alien. licet.* CARPZOV. *P. II. c. 15. d. 21.* Nec dubitant plures doctores reliquis Germaniæ foris vsufructuarias leges in nostra causa obtrudere. Generatim ita WESENBECIVS; *tutius esse non recedere a iure communi, nisi id expresse reperiatur statuto mutatum.* LAVTERBACH. *Coll. Theor. Pr. ad D. d. Fundo dot. §. I.* Quid si vero clare pateat, patrium ius nostrum ab initio repugnasse istiusmodi conclusionibus? Ergone miscebimus conclusiones Romani & patrii iuris, & saltem posteriores ex prioribus restringemus? Male ita actum a pluribus, & rectius subductæ rationes a prudentioribus doctoribus. Ex quorum numero SCHILTERVS *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 95. 96.* probat

probat manifesto ex perspicuis textibus Saxonici, Alemannici ac Bauarici iuris, imo ex ipsa Germanicorum morum vetusta indole, *maritum vsufructuarium apud nos alio longe iure, quam Romano, in nostro argumento vixisse, hodieque viuere. Et quantumuis Iustinianeo iure tandem recepto suo modo in forum nostrum, tamen hanc illius iuris dispositionem*, scilicet de fundo dotali, *receptam non esse.* Eodem modo *legem Iuliam moribus non obseruari, quibus mulieris consensus ratam faciat alienationem;* scribit ZOES. *ad D. d. Fundo dot.* In *Belgio* vniuerso mariti vsumfructum non prohiberi ab alienatione vxoriorum bonorum, commonstrat SANDE. *tr. D. Prob. rer. alien. Cap. X. §. 14. & Lib. II. Decis. Frisic. t. IV. def. 2.* Quod eo extendit, si vel vxor alienationi obstet ac reluctetur, plurimaque in hanc rem doctorum testimonia cumulat GROENEWEG. *ad princ. l. Quibus alien. lic. p. 24. & ad Auth. Si qua mul. p. 138.*

§. XXXIV.

Videsis supra *S. I. §. 35. & 36.* principia aeque ac conclusiones Germanici iuris,

qua ratione vſusfructus coniugum communis *aequiſſimum ius alienationum* ſtabiliuerit. Iſtud ius, vt ceteras Germanicas ſanctiones tranſeam, optime deſignat *Specul. Sueu. Cap. CCLXXIII. §. 2. Ein Weib mag ihres Gutes nicht hingeben,* * *ohn ihres Mannes Vrlaub, und ohn ſeinen Willen: noch ein Mann* * *ohn ſeines Weibs Willen.* Quod omnino ad mobiles res, citra alterutrius conſenſum non alienandas, deinceps extenditur. Quantum ſcilicet pertinuit ad ipſum vſumfructum, is fuit vtique ex iure communis ac veri dominii. Siquando vero ad alienationem deueniendum erat, altero diſſentiente alter nudi vſufructuarii, ſed ex ſola lege communionis, ius habuit. Ibique nulla differentia vxoriorum bonorum reſpecta. Nam quem vltra latet, talem differentiam iuri Germanico prorſus fuiſſe incognitam? Bene igitur fora noſtra, in quibus, omni reprobata iurium mixtura, Germanicis ſolis moribus in hac cauſa viuitur. Satis conſultum vſuifructui communi, dum neuter coniugum quicquam valet, citra alterius conſenſum, in diminuendo per alienationes iſto vſufructu. Dum non metuuntur diuortia, quid ſcrupuloſa cura con-

constringendarum alienationum valde opus? Partes ipsæ, quarum interest, viderint, an futura vtilis, an necessaria bonorum alienatio. Vrgente alieno ære, dum vxor cernat, ex vsufructu eius diluendi nullam esse copiam, vix rationem habet se opponendi alienationi, cum norit, sua non minus bona per communionem initam patere alieno æri. Noui hanc posteriorem cessare rationem, vbi recepta dotium priuilegia securiorem vxorem ab ære alieno fecerunt. Iuri auctoritate publica recepto frustra interceditur. Sed mixtum ius esse dico, quando prohibetur maritus, vel vxore consentiente, adeoque priuilegiis suis renunciante, fundum dotalem alienare; præterea quando ne vxor quidem sine curatore hunc dotalem fundum, etiamsi maritus quam maxime consenserit, alienare permittitur. CARPZOV. *P. II. c. 15. d. 21. 23. 24.* Quam multis incommodis premantur istiusmodi mixti iuris decisiones, facile erat persequi, nisi rationes instituti nostri prohiberent. Credo perspectis talibus difficultatibus, in Belgio, alibique, (*S. h. §. 33. fin.*) plane contrarium, & vna ex parte fere nimium, ius intro-

ductum esse, vt nempe mariti, quantumuis vsufructuarii, soli vxoria bona valide alienare aut oppignerare possent. Ius tutelæ maritalis Germanicis moribus quondam frequentatum, (*S. I. §. 42.*) istis moribus aliquam occasionem præbuit. Nomine tutelæ maritalis retento, mixtum nostrum Saxonicum ius quam valde ab eius effectibus aberrauit. Hoc tamen addo, laudatum Belgicum ius, licet ratione & prisci Germanici iuris principiis minime destituatur, videri vtique concedere æquitati reliqui communioris Germanici iuris. Ex quo, ita vt ostensum est, communis vsusfructus magis necessario postulauit vtriusque coniugum voluntarium consensum in alienationibus.

§. XXXV.

Vsumfructum maritalem, aut nostro potius iure communem, *soluto matrimonio continenter exspirasse*, id, quam secus vulgo videtur, Romano iure aliter, aliterque iterum Germanico iure, definire conuenit. Ex *Romanis legibus* vxore mortua dos, nisi aliter pacta statuerint, ad patrem,

patrem, aut ad vxoris hæredes, rediit. *S. l. §. 20.* Exſpirauit itaque omnis maritalis vſusfructus confeſtim, ac ipſo facto. Diuortio alterutrius partis æque ſoluto matrimonio, non minus continuo maritus omni vſufructu excidit. Vnde ſuperſunt ſcrupuloſæ leges de fructibus inter virum & vxorem diuidendis, dum forte factis impenſis in agros, vineasue, maritus aut vxor diuerterit. *l. 7. & 6. D. Soluto matrim.* Quid quod vel ſuborto iurgio dotis fructus fuere in dubio, donec illo iurgio placato dotis fructus maritus iterum perciperet. *l. 31. D. d. Iure dot.* Et quam omnino conſtante matrimonio caſus emerſerint, quibus licuerit vxori a marito, forte ad inopiam vergente, vſumfructum reuocare, docuimus id ſupra *S. h. §. 14.* Nil addam de caſibus deportati, aut in captiuitatem abducti mariti, quibus rurſus aut ſtatim periit maritalis vſusfructus, aut ſaltem pependit propter ius poſtliminii. Nihil ibi valuerunt concluſiones de vſufructu communi, adeoque poſt alterutrius fata ſuperſtiti relinquendo. Nam dum ratio eſſet maritalis vſusfructus ſtabilita, vt ferrentur matrimonii onera, tum & ceſſante

te

te matrimonio, & oneribus non latis, vsumfructum æquo iure modoque perire necesse erat. Porro dum nulla matrimonii onera pertinerent ad vxorem Romanam, quæ curarum ac operarum domesticarum exsors ageret, rationis vtique commode visum, vt ad eam, aut ad eius patrem hæredesue, pro re nata, soluto matrimonio, dos rediret. Sed non æque rationis visum, vt hæc vxor superstes præter dotem in mariti bonis siue partem, siue vsumfructum aliquem, speraret. De quo, satis puto commemoratum esse in superioribus.

§. XXXVI.

Contra *Germanico iure*, qui maritalis vsusfructus vulgo adpellari consueuit, ob idoneas rationes magis est, prout sæpe ostensum, *constante matrimonio vsusfructus coniugum communis*. Inde soluto quouis modo matrimonio, exspirat quidem necessario vsusfructus communis. At non ita de vsufructu bonorum generatim pronunciandum fuerit. Vidimus potius *S. I. §. 34.* communius quondam in Germania ius valuisse, vt superstes

siue

ſiue vir, ſiue vxor, defuncti bonis vteretur frueretur, donec viueret. Igitur morte finito matrimonio, *communis vſusfructus deſiit deinceps in ſingularem.* Quod quo magis mirum videri poterat ratione vxoris, eo amplius inſigni aliquo vetuſtiori teſtimonio probare conuenit. Ita reperio in *feudalibus legibus Tecklenburgicis* ſcriptum: *Da zwey aus denen Lehen-Leuten zur Ehe ſchreiten, und die erſte Nacht beygelegen ſind, ſo iſt die Leib-Zucht * aller des Mannes Güter der Frauen, als wann ſie dieſelbe von dem Graffen zu Leben empfangen hätte. Si duo ex noſtris contrahunt, transacta nocte, qua condormierunt, mane * vſusfructus bonorum omnium viri eſt dominæ, ac ſi ipſum a nobis in feudum recepiſſet.* LVDEWIG. *Rel. MS. T. II. Codic. Diplom. N. 76. §. 14. p. 303. 304.* Paſſim quidem integrum vſumfructum bonorum non eſſe vxori tranſcriptum, ſupra vidimus. *S. I. §. 34. 37. 49.* Odio ſecundarum nuptiarum quædam ſecus conſtituta. Sed ne hic morer variantia iura ſucceſſionum, communius tamen Germanicum ius, ita vt modo diximus, optimis ex rationibus duranti vſuifructui ſuperſtitis coniugis, maxime mariti,

mariti, adprime quondam fauit. Probata eo modo in vniuerſum inſignis conſequentia coniugalis bonorum communionis, adeoque communis inde oriundi vſusfructus. Et ſi quid ex ſingularibus cauſis declinarunt hac in cauſa quædam Germanicæ leges a generaliori patrio iure; id ſufficit, quod vbique fere idoneæ concluſiones ex capite communionis bonorum, licet alia atque alia ratione, formatæ fuerint.

§. XXXVII.

Diuortiorum in Germania infrequens valde vſus fuit. Inauditum ibi, quod Romæ ſolenne fuit, ex leuibus, aut omnino nullis ex cauſis, ſola leuitate animi diuortium facere. Reſtricta licet nouiori Romano iure diuortiorum licentia, primæ tamen Germanicæ leges adhuc amplius diuortia prohibuerunt. Quod iuri naturæ conuenientiſſimum inſtitutum laudat, & adductis legum formulis confirmat SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 106. ſequ.* Addo, Germanicas gentes non aut ægre leges contra diuortia laturas fuiſſe, niſi factu id opus fuiſſet

ſet contra Romanos paſſim Germanicæ ditioni ſubiectos. Manat inde, quod *rariſſima* ſuperſint *veſtigia iuris, quod circa vſumfructum obtinuerit, quando iuſtis ex cauſis eſſet factum diuortium.* Analogia noſtri Germanici iuris ſuadet, ſi ob vxoris adulterium diuortium factum eſſet, adulteræ illata bona ceſſiſſe mariti lucro. Ita deinceps non vltra vſufructuarius, ſed plenus dominus vxoriorum bonorum, maritus futurus erat. Argumentum licet nectere ex Germanorum circa adulteria coërcenda inſtitutis. TAC. *Germ. Cap. XIX.* HACHENBERG. *Germ. Med. Diſſ. V. §. 16. 17.* Quodſi vxorem ob implacabile odium maritus dimiſerit, reddidit ei omnia illata bona, præterea dotem a ſe conſtitutam. Quin omnino imponit marito pœnam patri vxoris luendam *Lex Baiuwar. Tit. VII. c. 14.* Iſto itaque rariori caſu prorſus exſtinctus eſt maritalis vſusfructus bonorum, quæ reddenda vxori fuerant. Exemplum, quo vxor viro renunciarit repudium, mihi ægre in priſca Germania ſuppetit. Vnde curioſior eſſe nolo in expediendo iure, quod tum videatur valuiſſe.

§. XXXIIX.

§. XXXIIX.

Non locus fuit in Germania exſtinguendo maritali, aut potius communi, vſuifructui, dum ad inopiam vergeret maritus, imo ne quidem, dum creditorum factus eſſet concurſus. Quod arbitror me ſatis euictum dediſſe *S. h. §. 15. ſequ.* Quam exilia bona ſuperfuerint, horum fructus manſere communes, quia onera matrimonii communia perſtitere. Neque captiuitate mariti, neque proſcriptione, quæ Romanæ deportationi quodammodo ſimilis, ſolutum matrimonium; ergo *nec exſtinctus prorſus communis vſusfructus.* Priori caſu vxor ſola fructus percepit, redeunte marito ex captiuitate in communionem redituros. Altero caſu aut bona fiſcus occupauit, forte dum maritus crimen perduellionis commiſerit, aut non. Bonis non fiſco addictis, maritus quidem, donec delicti veniam impetraſſet, communi vſufructu priuatus, ſed in eum rediit, quam primum priſco ſtatui reſtitueretur. Quod idem ius obtinuit, licet bona fiſcus inuaſerit. Quantumuis enim coniugalium bono-

bonorum communio suaserit, vt in tali causa communia bona fisco cederent, æquius tamen, quasi soluta communione, vxorum bona ipsis condonata. Et tum parum metuo adserere, reducem ex gratia maritum non potuisse a communione fructuum vxoriorum bonorum excludi. Desertor coniugis malitiosus se ipsum communi vsufructu exuit, siue bonorum eius quicquam superfuerit, nec ne. Non minus vero deserta vxor, aut desertus maritus, communem vsumfructum continuauit, si vel opimas opes desertor siue desertrix reliquerit. Quod ita rectissime iuris patrii analogia decidit.

§. XXXIX.

Prouide admodum agunt ea Germaniæ fora, quæ, commode distinctis principiis, hodieque omnes & singulos *coniugalis vsusfructus fines* atque exitus ex commemoratis Germanici genuini iuris conclusionibus metiuntur. Et improuide fere semper cessit, quoties ad dispares Romanas conclusiones hac in causa vnquam respicere, aut miscere principia

& consequentias libuit. Romæ demum Prætor successionem coniugum, quoties deficiat omnis parentum, liberorumue, seu propinquorum, legitima seu naturalis successio, subsidiariam esse iussit. *l. vn. D. Vnde vir & vxor. l. 1. C. eod.* Et paulo amplius IVSTINIANVS coniugibus prospexit, dum matrimonium esset indotatum, superstesque inops, defunctus vero locuples. *Nou. LIII. c. 6. Nou. CXVII. c. 5. Authent. Praeterea. C. Vnde V. & vx.* Quæ conclusiones non minus pertinent ad separatam bonorum possessionem, coniugibus Romana lege addictam. SCHILTER. *Ex. ad Pand. XLI. 76.* Agnoscit cordatus hic ICtus, *vel ex eo capite istis Romanis beneficiis non opus esse in Germania coniugibus, quoniam hi fere in vniuersum opposito iure, nempe bonorum communione, nitantur.* Consentit GROENWEGEN. *ad l. 1. C. Vnde V. & vx. p. 219.* plurimosque alios doctores in hanc rem laudat. Vbique igitur videris in Germania, insuper habitis Romanis legibus, *successiones vel in ipsa bona defuncti, vel in eorum partem, vel maxime in illorum vsumfructum, superstiti coniugi relinqui.* Et dedimus horum iurium plura exem-

pla

pla supra *S. I. §. 34. 37. 49.* Nec piget noua data occasione leui spicilegio locum facere. Reperies ita omnino in *Marchia*, quae alioquin publica lege Romano iuri accessit, (*S. I. §. 45. fin.*) superstitem coniugem lucrari dimidiam partem omnium bonorum defuncti, siue mobilium, siue immobilium, licet bonorum parum nihilue in matrimonium intulerit. SCHEPLITZ. *Consu. Marcb. P. III. t. 2. §. 1.* Ad nostram causam de vsufructu communi, alterutrius coniugum morte, in singularem vsumfructum transeunte, insigniter praesertim facit *inclita Reipublicae Francofurtensis constitutio.* Ex ista superstes siue vir, siue vxor, cum quadam bonorum distinctione, & respectu quodam liberorum, dimidiam lucratur partem, semper vero omnium reliquorum bonorum vsumfructum, quoad vixerit, consequitur. *Reform. Francof. P. IV. t. 4. 5.* De similibus Germanicorum coniugum successionibus consule praeterea LAVTERBACH. *Coll. Theor. Pract. d. Success. Nouiss. iuris, in Append. T. II. §. 49. p. 1333. sequ.*

§. XL.

Corruptela non est leuis, quoties, Romani iuris amore, *beneficia coniugibus aequis partibus per patria instituta indulta* impugnantur aut restringuntur. Memorat SCHILTER. *d. l.* §. 77. quaesitum esse, *an & quando iudex ex officio hereditarias res defuncti, inuita vidua & liberis, obsignare, & inuentarium super iis conficere teneatur?* Ex Iustinianeo iure, separatam bonorum coniugalium possessionem respiciente, facile, ait, quaestionem in superstitis coniugis odium affirmatam esse. Verum rectius ex patrii iuris analogia quaestionem negari respondet, nullumque ibi magistratus officium versari, nisi dum manifestum pupillorum appareat periculum. Sic iudicatum omnino esse in Saxonico foro semel atque iterum. Et deinceps in adiecta *consultatione super Hennebergico iure, Conclus. IX.* grauiter monet, frustra viduas quandoque a doctoribus ex *l. 51. D. d. Donat. inter V. & vx.* vexari, quasi constante matrimonio acquisita

ta mariti lucro cedant. Nihil ibi contrarias Romanas leges excitari, vbi Germanicus communis vſusfructus ad diuerſas deciſiones nos ableget. De qua cauſa plura in medium protulimus *S. b. §. 9. ſequ.*

§. XLI.

Miror perquam valde, quod SCHILTERVS, quem ſtrenuum Germanici iuris contra Romanas mixturas & corruptelas adſertorem ſubinde reperimus, ſine cenſura idonea dimiſerit communem doctrinam, *quaſi iuſte ab vxore repetantur dos & illata, adeoque eorum vſusfructus, quando maritus vergat ad inopiam*, aut ceteroquin contra ipſum creditores inſurgant. De qua doctrina plura commemorauimus loco ſuperiori. Prouocat potius SCHILTER. *Ex. ad Pand. XXXVI. §. 120.* ad OLDENDORPIVM *Cl. IV. art. 26. §. 4. & 6.* qui ad hunc modum ſe ſecundum Romanas leges reſpondiſſe, atque omnino cenſuiſſe affirmet, quod, vel reclamante filia, pater dotem illis caſibus reuocare queat.

 Enim-

Enimuero illud quidem OLDENDORPII assertum eo nomine SCHILTERVS taxat, quod, contra Romani iuris indolem, nostris moribus per nuptias filia ex patria potestate exeat. Pergitque deinceps dicam scribere ZOBELIO *Gl. in Spec. Sax. Lib. I. art. 31. lit. f. quod opinatus sit, & in patria potestate filiam manere, & in tutelam mariti transire, * quia ius commune in hoc maneat incorrectum.* Ad quae verba scite satis commentatur SCHILTERVS: *Nititur Zobelius falsa hypothesi illa, quasi ius Saxonicum sit statutarium, & post ius commune introductum, quo hoc corrigeretur: quum potius ius Saxonicum * aeque sit ius commune, ac Romanum, ac vetustum & patrium ius, in cuius praeiudicium leges Romanae introductae, nec tamen in totum.* Si istud, quod passim etiam euicimus, (*S. b. §. 25.*) quanto magis SCHILTERVS, rationem adductam porro sequutus, idonee praesertim commentum illud de vsufructu maritali adeo facile reuocabili destruxisset. Si vel enim vim priuilegiorum dotis receptorum agnouisset, dum motus esset concursus; non sane conuenerat in

idem

idem ius descendere, dum modo inopia mariti apparuerit. Sed commode docemur exemplo isto, quam difficulter cordatiores etiam doctores desuescant recepto mori patriis institutis vbique Romani iuris placita admiscendi.

§. XLII.

Superfuturæ erant plures in argumento nostro conclusiones, in quas forte non inutiliter excurreremus. Ita quærere licebat, *an maritus inops, si dein locupletior fiat, vsusfructus iura denuo consequatur?* Facile legum argumenta coacervarem, quibus illam quæstionem Romano iure liceret plane affirmare. Sed cum superiori loco declarauerim, non, nisi repugnante atque inuita Germanica iurisprudentia, fere vnquam vsumfructum maritalem, aut potius communem, ab vxore marito adimi, frustra sim, dum operosius de iure reuiuiscentis istius vsusfructus inquisiuerim. Mitto igitur has similesque alias quæstiones, cum maxime videam, necopinato excreuisse cogitationes meas quo-

dammodo in librum. Et quidem sæpiusſcule in argumenta vicina me exſpatiatum eſſe non diffiteor. Non dubito tamen tum tractationem ipſam, tum reliquas digreſſiones neceſſarias æque ac vtiles, æqui bonique conſulturos, quibus emunctioris iurisprudentiæ curæ cordique eſt ſtudium.

CON-

CONSPECTVS
ORDINIS ARGVMENTORVM.

PROOEM.

Explicantur vocabula, §. I. & praesertim de notione vsusfructus contentiones. §. II. Quales contentiones Romani Germanicique iuris, & principiorum, & conclusionum intuitu, in toto nostro argumento patent. §. III. Vnde quibusdam regulis via munitur minus expedito instituto, & eius methodus indicatur. §. IV.

SECT. I.

Naturali iuri adprime congruit coniugalium bonorum communio, ac communis vsusfructus. §. I. Sed Thraces, Sacae, Indi, vxoria bona prorsus improbarunt. §. II. Etiam Solon & Lycurgus iis bonis interdixerunt suis ciuitatibus. §. III.

Dotes vxorum introductae, ne eae paternis hereditatibus se immiscerent, nec tamen plane inopes nuberent. §. IV. *Romani, cum dotium recepto vsu, diuersis temporibus modo vxores admiserunt ad reliquas hereditates, modo istis eas probibuerunt.* §. V. *Vetus Roma, conuenienter naturae iuri, plenam communionem bonorum coniugalem, & communem adeo vsumfructum, in matrimoniis confarreatis coluit;* §. VI. *nec non in matrimoniis per coëmtionem.* §. VII. *Quo rerum statu omnes vxoriae rei cautiones & actiones, litesque de maritorum iuribus exularunt.* §. IIX. *Verum Roma sequior, ingruente diuortiorum licentia, a priscis bonis moribus desciuit,* §. IX. *& matrimonia per solum vsum fere adoptauit.* §. X. *Vnde mutatis in peius moribus, breuique cumulatis vxoriae rei actionibus, legibus coepit opus esse.* §. XI. *Quae, vt corrupta ciuitatis statui consuleretur, necessaria ratione separandis coniugum bonis vnice studuerunt.* §. XII. *Ita vxorum bona curate distincta a maritalibus, & deinceps porro inter se diuisa.* §. XIII. *Dotibus prospectum pro maritis, sed multo magis in ipsorum odium.* §. XIV. *Licet igitur vsufructu dotis maritis addicto, is tamen conditionalis & circumscriptus fuit.* §. XV. *Maritale quidem dotis dominium in Romanis legibus magnifice iactatum.* §. XVI. *Sed vt schemata prisci iuris dudum euanidi modo sine re volitarent.* §. XVII.

Quod

Quod ex ipsis legibus confirmatur. §. XIIX. *Ex quibus omnino patet, a promiscuo vsufructu maritalem vsumfructum nunc nihil parumue distulisse*; §. XIX. *& sane hunc illo fuisse deteriorem, ratione durabilitatis*, §. XX. *atque respectu sustinendæ functionis.* §. XXI. *Ad parapherna vsumfructum mariti noluere leges protentum.* §. XXII. *Potius solius vxoris in illis potestas fuit*; §. XXIII. *adeo vt ne quidem ex tacito vxoris consensu maritus vsumfructum in paraphernis obtinuerit.* §. XXIV. *Pactis tamen in toto negotio integer locus Romæ relictus.* §. XXV. *Vetus Germania honestatem matrimonialem prima Romæ suis moribus egregie expressit.* §. XXVI. *Ita vt Tacitus nihil magis, ac Germanicorum coniugum optimos mores*, §. XXVII. *& bonorum inter ipsos initas rationes, deprædicet.* §. XXIIX. *Conuersatio decora & proba inter Germanicos coniuges nulli diffidentiæ aut suspicioni reliquit locum.* §. XXIX. *Bona vxorum, imo vtrinque coniugum, in plenam communionem iuerunt.* §. XXX. *Dotem autem non vxor marito, sed maritus vxori obtulit.* §. XXXI. *Quæ dos maritalis cum morgengaba necessarii iuris facta.* §. XXXII. *Nullam ibi repereris vxoriorum bonorum a maritalibus distinctionem*, §. XXXIII. *multo minus veram diuisionem ipsorum vxoriorum bonorum. Quin potius vtrinque superstes coniux alterius bonorum heres*

res fuit. §. XXXIV. *Maritalis vsusfructus in Germania ex bonorum communione oriundus, indeque potius coniugalis & communis exstitit.* §. XXXV. *Proinde, citra alterutrius consensum, nulla vllorum bonorum alienatio valuit.* §. XXXVI. *Quia communia matrimonii onera, ideo communis vsusfructus ius nondum cum morte confestim exspirauit.* §. XXXVII. *Et his sanctioribus coniugum moribus perquam diu Germania stetit:* §. XXXVIII. *donec Romani iuris veneratio, Papa parastata, se in scholas, & inde ex scholis sensim in fora nostra insinuaret.* §. XXXIX. *Interea doctorum vota conatusque aliquam partem optatus exitus frustratus est.* §. XL. *Sic porro, quod patet, Saxonicum Sueuicumque ius coniugalem bonorum communionem tuetur,* §. XLI. *aeque ac vsumfructum communem; quem quidem Saxonicum ius marito, nomine tutelae, singulatim transcribit.* §. XLII. *Hodieque vero durat huius Saxonici iuris obseruantia, saltem pro ea idonea praesumtio.* §. XLIII. *Generaliorem vsumfructum in omnibus vxoris bonis, nil obstat, ex Saxonico scripto iure deriues.* §. XLIV. *Discessione a Saxonico iure facta, in quibusdam regionibus iura coniugum non parum variarunt.* §. XLV. *Non minus quidem generalior Sueuici iuris, si quae fuit, obseruantia in quibusdam terris euiluit.* §. XLVI. *At quod ibi maxime reditum est ad priscas pro-*

prouinciarum leges, §. XLVII. *communio coniugalis bonorum, cum suis consequentiis, parum ibi detrimenti tulit.* §. XLVIII. *Ita perstat etiam Lubecensi iure coniugalis bonorum communio, licet ea anomala.* §. XLIX. *Multoque magis in Belgio Romanae in nostra causa leges non tam abrogatae, quam nunquam receptae sunt.* §. L. *Quod per partes singulatimque demonstratur.* §. LI. *Extra omnino Germaniam durant Germanici mores, satis fidi Germanicae gentium originis indices.* §. LII. *Generatim iterum in Germania limpidius ius nostrum conseruatum est in institutis feudalibus.* §. LIII. *Sed minime defuit doctoribus siue animus, siue conatus, & illis consuetudinibus Romanas doctrinas admiscendi.* §. LIV. *Mixto, quod in nostra causa tentatum est, iure per certas rationes vere praestat purior solius Romani iuris obseruatio.* §. LV. *Enimuero academiis probatur Romanum ius, tanquam principale, vt saltem omnia Germaniae iura per istud restringantur ac misceantur.* §. LVI. *Quod praecipue mixturas & corruptelas varias sensim in Saxonicum ius inuexit.* §. LVII. *Generalior vsus fori aliquantisper recedit a solennibus academiarum doctrinis.* §. LIIX. *Vix autem datur, praesertim nostram ad aetatem in Saxonia, vt se commode a iurium inuectis mixturis fora nostra expedire valeant.* §. LIX.

SECT.

SECT. II.

Mixtura iurium nostri argumenti praesertim faecunda fuit mater litium, ac calumniarum, & instabilium decisionum. §. I. Quibus fora nostra locum fecerunt, dum, Germanici iuris analogia deserta, magis ad Romana iuris placita acclinarunt. §. II. In quo sane multum effecerunt studia caussarum patronorum. §. III. Mixta conclusio est, ex qua mariti vsusfructus generalis in tacito vxoris consensu reponitur. §. IV. Nec debebant per analogiam iuris Germanici nostri tolerari pacta contra istum generalem vsumfructum. §. V. Solet quidem, ob Romanas maritalis vsusfructus rationes, mariti oneri dotis datio imponi, §. VI. Verum ob diuersas rationes non nisi iniquissime illa conclusio Germanicis foris obtruderetur. §. VII. Quod ob rationum paritatem statuendum etiam in caussa praestandae alimoniae. §. IIX. Ex Romano iure facile defenditur, quod ab vxore acquisita soli marito addicantur. §. IX. Verum Germanicum ius subruit regulae istius fundamentum. §. X. Vnde emtum ab vxore praedium non marito, sed communibus bonis, recte cedit. §. XI. Creditores male sibi consulunt, ex illa regula vxorem debitoris impetendo. §. XII. Vsusfructus maritalis, aliter Romano, & aliter Germanico iure, alieno aeri mariti est obnoxius. §. XIII. Romano enim iure casus sunt, cum quibus vxor omnino vsumfructum omnem marito ereptum sibi vindicat, & creditores facile eludit. §. XIV. Contra Germanico iure vsusfructus,

quia

quia communis, eo magis alieno æri patet, dum omnino communia coniugum bona istud soluere teneantur. §. XV. Et ita plane tenetur in Belgicis prouinciis. §. XVI. Imo nihil abludit inde Lubecense ius. §. XVII. Quam maxime vero Hamburgense ius ad hanc normam dirigitur. §. XIIX. Et inepte prorsus quæritur, an valeant statuta, vt pro marito vxor teneatur? §. XIX. Sunt tamen fora, præsertim Saxonica, quæ Romanas in causa hac decisiones satis multum huc vsque admittunt. §. XX. Quin ea quandoque, ex doctorum ficulneis rationibus, omnino indulgent vxori potestatem a marito inope vsumfructum reuocandi. §. XXI. Cuius rei gratia illustrans casus producitur. §. XXII. Notatur simul in eo, qui culpa creditoris factum, vt congrua Romano iuri decisio ipsi nocere debuerit. §. XXIII. Sed negatur, a iure Romano maritalis vsusfructus valere idoneam consequentiam ad ius Germanici vsusfructus. §. XXIV. Ostenditur, prorsus inficete statui, quasi nequeant in dubio Romanæ leges pro non receptis aut abrogatis haberi. §. XXV. Cessare patet in ipso Saxonico foro rationes, quibus Romæ vxori reuocandi maritalem vsumfructum gratia facta sit. §. XXVI. Vnde prouidentissime noua Saxonica lege ad ius communionis bonorum coniugalis prope reditum est. §. XXVII. Quod ex parte, non plane vero, aliis etiam Germaniæ foris arridet. §. XXIIX. Vsusfructus maritalis Romano iure non patet vxoris æri alieno, nec hac pro marito valide intercedit. §. XXIX. Germanicum ius maritum ab ære alieno vxoris plane non

immu-

immunem pronunciat. §. *XXX. Tamen etiam hoc iure rarius valet vxoris intercessio pro aliis; sed in regula valet eius intercessio pro marito, nisi vbi expresse Romanae leges receptae sunt.* §. *XXXI. Romano iure maritalis vsusfructus ad alienationem dotalium fundorum non extenditur, sed valide vxor alienat suo arbitrio parapherna.* §. *XXXII. Germanicus communis vsusfructus, cum partium consensu, plane nihil obstat alienationibus.* §. *XXXIII. Vnde mixti iuris decisionibus plane nihil hic opus fuerat.* §. *XXXIV. Exspirauit maritalis vsusfructus Romano iure facile variisque rationibus.* §. *XXXV. Ast in Germania debebat in regula, post mortem alterutrius partis, communis vsusfructus desinere in singularem.* §. *XXXVI. Per diuortia exstincti communis vsusfructus infrequens ius patet apud nos.* §. *XXXVII. Non interim desunt casus, quibus communis vsusfructus alioquin cessat, & iterum redintegratur.* §. *XXXIIX. Dum Germanico iure coniuges aut partem defuncti bonorum, aut integrum vsumfructum sortiuntur, Romanarum legum mixturis non indigemus.* §. *XXXIX. Ita nec iuste obsignatio bonorum & inuentarium a iudice viduae in foris nostris obtruditur.* §. *XL. Schilterus eadem ratione, qua corruptelas alias in Saxonicum ius inuectas reprobauit, merito debuisset explodere commentum, quod vxori maritalem vsumfructum a marito reuocare liceat.* §. *XLI. Aliarum conclusionum cura relinquitur aliis.* §. *XLII.*

* * *